



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio IV. De Gratia sufficiente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

operaretur bonum cum cœlesti delectatione terrenam non excedente; unde manifestè sequitur in hoc systemate, cœlestis delectationis supra terrenam excessum esse virtutem voluntati in præsenti statu ad volendum & operandum bonum absolute necessariam: cum autem hæc virtus se teneat ex parte actus primi, ulterius manifestè sequitur in hoc systemate voluntatem sine illa non habere completum & integrum posse velle & operari bonum, adeoque sine illa non habere gratiam verè sufficientem.

Obj. 9. Multum elevamus gratiam efficacem, dicendo illam esse intrinsecè repudiabilem, & ita denegando illi vim insuperabiliter prædeterminandi voluntatem. *Resp.* Hoc esse fallum. Imò verò gratiam efficacem plurimum extollimus & commendamus, dum infallibilem ejus congruitatem cum intrinseca ipsius repudiabilitate conciliamus. In eo enim quod voluntas sic moveatur, ut retineat expeditam facultatem consentiendi vel non consentiendi etiam in sensu composito motionis, & tamen summa infallibilitate consentiat, longè magis commendatur sapientia & potentia divina, quam in eo quod voluntas infallibiliter consentiat ex insuperabili ad consentiendum prædeterminatione; quod per se manifestum est intellectui cuilibet, quem non excacaverunt falsæ opiniones præjudicatæ.

Dices. Gratia excitans ex natura sua irrepudiabilis, potentior est, quam gratia excitans ex natura sua repudiabilis: prima enim vim habet voluntatem prædeterminandi; secunda verò non habet. Plus ergo gratiæ excitanti tribuunt, qui dicunt illam ex natura sua irrepudiabilem esse, quam qui dicunt esse repudiabilem ex natura sua.

Resp. 1. Gratia excitanti tribuendam non esse prærogativam ullam, quæ libertatem arbitrii excludat. Intrinseca autem irrepudiabilitas gratiæ excitantis excluderet libertatem arbitrii: cum enim gratia excitans se teneat ex parte actus primi, gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, actum primum antecedenter & insuperabiliter obligaret ad alteram partem contradictionis. Actus autem primus sic obligatus, non esset liber libertate arbitrii.

2. Dignitati & perfectioni gratiæ excitantis sufficientissimè consulitur, si dicatur ex propria & intrinseca virtute movere voluntatem quomodo ei congruit ut consentiat; quamvis ita moveat eam ad consentium, ut ei relinquat non solum physicam, sed etiam moralem & humanitatis ad actum reducibilem potentiam non consentiendi etiam in sensu composito motionis. Imò verò sic movendo voluntatem, & tamen consensum ejus ab ea infallibiliter exprimendo sub directione scientiæ divinæ, & excellentius, & ut ita loquar, divinitus operatur.

3. Qui tribuunt gratia excitanti vim prædeterminandi voluntatem, non magis consulunt ejus perfectioni, quam hominis perfectioni consuleret, qui ei tribueret vim volandi, quia vis prædeterminandi voluntatem non magis convenit naturæ gratiæ excitantis, quam vis volandi convenit naturæ hominis. Natura enim gratiæ excitantis attendenda est secundum intentionem Dei illam conferentis. Deus autem in ea conferenda intendit ut voluntas sic consentiat, ut consentiendo laudem mereatur & præmium. Porro quam laudem, quodve præmium mereretur voluntas consentiendo gratiæ excitanti ex natura sua irrepudiabili, adeoque ipsam antecedenter & insuperabiliter prædeterminanti ad consentiendum?

Certe cum ad summum, ipsismet adversarii ita docentibus, voluntas sub tali gratia non esset aliter libera ad non consentiendum, quam vir sapiens liber est ad eruidos sibi oculos in sensu composito sapientiæ, ut amico id per jocum roganti obsequatur; voluntas consentiendo non magis laude præmovere digna esset, quam vir sapiens non eruido sibi oculos, amico quantumvis id per jocum rogante. Quæro autem qua laude, quove præmio tunc dignus esset vir sapiens, quod amico in eruen-

dis sibi oculis obsequi noller? Intrinseca igitur irrepudiabilitas, & vis prædeterminandi voluntatem, naturæ gratiæ excitantis disconveniens est, & tam disconveniens est, quam vis volandi naturæ hominis.

Obj. 10. Concordia gratiæ efficacis cum libero arbitrio, ut docet S. Augustinus, intellectu difficillima est: ita ut pauci admodum eam capere valeant. Ergo sententia nostra, in qua hæc concordia nullo negotio intelligitur, falsa est, & contraria sancto Augustino.

Resp. 1. Retorquendo argumentum contra defensores gratiæ excitantis, ex natura sua irrepudiabilis. Juxta S. Augustinum, concordia gratiæ efficacis cum libertate arbitrii intellectu quidem difficillima est, & idè pauci illam capere valent; at non est impossibilis. Atqui in systemate gratiæ excitantis, ex natura sua irrepudiabilis, concordia gratiæ efficacis cum arbitrii libertate evidenter impossibilis est. Ergo hoc systema evidenter fallum est, & S. Augustini sententiæ contrarium.

Prob. min. Evidenter repugnat actum primum esse liberum libertate arbitrii, & simul antecedenter atque insuperabiliter obligatum ad alteram partem contradictionis. Nullus Doctor Catholicus hanc propositionem negabit. Atqui in systemate gratiæ excitantis, ex natura sua irrepudiabilis, gratia efficax, quæ in illa excitante gratia, irrepudiabili ex natura sua, consistit, antecedenter atque insuperabiliter actum primum ad alteram partem contradictionis obligat, ut patet ex terminis. Ergo, &c.

Resp. 2. Directè, concordiam gratiæ efficacis cum arbitrii libertate, juxta S. Doctorem, difficillimam esse; quia juxta S. Doctorem, ad hanc concordiam requiritur ut inter se conciliantur duo, nempe quod gratia summa infallibilitate voluntatem ad consentiendum permoveat, & tamen voluntas sub motione gratiæ efficacis expeditam habeat facultatem consentiendi vel non consentiendi pro arbitrio: sive, ut loquitur S. Doctor, & quod idem est, quod Pater cœlestis attrahat homines, efficaciter scilicet, ita ut attrahentem sequantur, & tamen sic attrahat, ut eos in libero dimittat arbitrio, hoc est, ut liberam & expeditam relinquat eis sequendi vel non sequendi etiam in sensu composito tractionis facultatem. Illa autem duo conciliamus constituendo gratiam efficacem in excitante gratia, ex natura sua repudiabili, sed quæ ex directione scientiæ summè infallibilis datur voluntati quomodo ei congruit ut velit & operetur bonum. Quæ sententia multas nec leves paritur difficultates, quas hæcenus proposuimus, quasque, Deo auxiliante, sufficientissimè, ut arbitramur, resolvimus.

DISPUTATIO IV.

De gratia sufficiente.

ARTICULUS I.

De systemate & doctrina Jansenii circa sufficientem Gratiam.

§. I.

Quid sentiat Jansenius de voluntate Dei circa hominum salutem.

1. **R**ejicit voluntatem generalem, qua Deus, post absolutam originalis peccati prævisionem, velit salutem omnium hominum sic, ut omnibus etiam reprobis media ad salutem assequendam idonea præparaverit: *Hec igitur*, inquit, lib. 10. de gratia Christi Salvar. cap. 2. S. Augustini principia quisquis perceperit, jam facile videt non posse statui, quod recentiores plerumque solent, voluntatem quandam generalem, qua Deus velit omnes homines in damnatione primi peccati positos, salvos fieri, ex qua voluntate

luntate non solum generalia redemptionis remedia, sed etiam sufficientia adiutoria omnibus etiam reprobis praepraeaverit. Imò voluntatem hanc traducit ut Pelagianum & Semipelagianum dogma, libro 3. de gratia, cap. 20. ubi plurimus est in orthodoxis, qui eam defendunt, Doctoribus refellendis.

2. Docet ibid. in eodem signo, in quo electi post absolutam praevisionem peccati originalis, ad gloriam & gratiam gratuito praedestinati sunt, ceteros omnes non solum negativè, sed etiam positivè reprobos fuisse. Unde sequitur reprobos omnes non solum negativè, sed etiam positivè reprobos fuisse ante praevisionem absolutam omnis demeriti personalis, & finalis impenitentiae.

3. Per hanc autem omnium non electorum reprobationem, quam ante omnis demeriti personalis absolutam praevisionem tener esse factam, intelligit, non decretum puniendi poena aeterna sensus, hoc enim decretum faceret, omnium futurorum peccatorum, ipsiusque mortis in peccatis praesupponere praescientiam absolutam; sed decretum excludendi à gloria caelesti, quod cum alio decretum damnationis totalem sententiam, qua aeternis suppliciis addicuntur reprobi, constituit.

4. Itaque, juxta Janseium, non quidem decretum aeternae sensus poena puniendi reprobos, sed absoluta & efficax voluntas eos excludendi à vita aeterna & regno Dei, quae gravissima creaturae rationalis est damnatio, solum praevisionem absolutam peccati originalis praesupponit. Quod disertis verbis asserit Janseius ibid. c. 3. Manifestum est, inquit, non aliam agnoscere S. Augustinum reprobationis causam, nisi massae perditam meritum, seu peccatum originale, quo tota massa perit; & hoc esse causam non tantum negativè reprobationis, seu non praedestinationis, sed etiam positivè, qua videlicet tanquam indignus repellitur ab aeterna vite, seu regni caelestis beneficio, siue iste parvulus vel adultus fuerit, siue ad tempus justificandus, siue in iniquitatibus tota vita mansurus.

5. Ex dictis apparet, in Janseii sententia Deum salutem reproborum, etiam eorum qui credunt, imò & eorum qui aliquando justificantur, non aliter velle, quam vult hominum & Angelorum damnatorum salutem, circa quam meram habet ac omnino sterilem velleitatem, seu complacentiam; adeoque homines viatores, etiam fideles, imò & iustos, ac proinde secundum praesentem iustitiam amicos Dei, & filios ejus adoptivos, atque haereditas vitae aeternae, tam destitui auxiliis gratiae ad salutem consequendam sufficientibus, quam destituuntur homines damnati, & demones.

Hoc dicit expressis verbis Janseius, libro 3. de gratia, cap. 20. ubi sic loquitur de voluntate antecedente, qua Deus vult salutem reproborum post peccati originalis praevisionem: Postquam peccata jam ab hominibus inducta considerantur, antecedens voluntas in sola precisione mentis, adeoque nuda quadam velleitate, nihil omnino gratiae causante consistere potest. Quod ex eo manifestissime patet, quia talem antecedentem voluntatem etiam erga damnatas creaturas siue hominum siue Angelorum Deus habet; qua non obstante sicut potest consequente voluntate iustitiae, Angelos omni gratia sufficiente & salute spoliare, excacare, obdurare, damnare; ita non obstante eadem antecedente voluntate, quibusdam hominibus originali labe damnatis, consequente voluntate iustitiae, gratiam sufficientem, fidem, iustitiam, salutem, felicitatemque negare potest, eosque nolle salvos fieri.

Tum post aliqua concludit his verbis: Nihil omnino igitur doctrina Damasceni de antecedente salutis omnium voluntate recentioribus prodest, ut quae optime cum neganda salutis & gratiae sufficientis voluntate consistit. Nisi forte & Angelis & hominibus damnatis, antecedente voluntate salutis, gratiam sufficientem, aliaque redemptionis instrumenta suppeditari & erogari putent.

§. II.

Quid sentiat Janseius de morte Christi pro salute hominum.

1. Negat Christum esse mortuum pro salute omnium hominum, & quod Christus pro salute omnium hominum mortuus sit, Semipelagianorum errorem esse contendit; Nec, inquit, juxta doctrinam antiquorum, pro omnibus omnino Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit, cum hoc potius tanquam errorem (Semipelagianorum) à fide Catholica abhorrentem doceant esse respuendum.

2. Dicit Christum mortuum quidem esse, ut mereretur reproborum aliquibus donum fidei, & aliquibus donum non solum fidei, sed etiam justificationis; at mortuum esse pro salute solum praedestinatorum; adeoque reproborum aliquos ad credendum, & aliquos non solum ad credendum, sed etiam ad alia opera ad justificationem praerequisita gratiam sufficientem accipere; solis vero praedestinati auxiliis ad salutem sufficientem dari: Quibusdam hominibus, inquit, lib. 3. de gratia Christi Salvator. cap. 21. dare praedestinavit fidem, charitatem, & in ea perseverantiam usque in finem, quos ... electos ... dicimus: aliis charitatem sine perseverantia; aliis fidem sine charitate. Pro primi generis hominibus ... semetipsum dedit, ac tradidit ... pro istis in aeternum vivificandis mortuus est pro his (hoc est, pro secundi generis hominibus) in tantum mortuus est ... & in tantum rogavit Patrem, in quantum temporalibus quibusdam divinae gratiae effectibus exornandi sunt. Unde in his mors & oratio Christi effectum non assequuntur alium, nisi temporalis fidei, aut charitatis sine perseverantia.

3. Non veretur asserere Christum non magis orasse & mortuum esse pro salute reproborum, etiam illorum qui credunt, & iusti sunt, quam pro salute diaboli: Nullo modo, inquit ibidem, principiis ejus (Augustini) consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro iustorum non perseverantium, aeterna salute mortuus esse Patrem orasse sentiat ... Ex quo factum est, ut juxta sanctissimum Doctorem, non magis Patrem pro aeterna liberatione ipsorum, quam pro diaboli deprecatione fuerit.

4. Denique docet Christum in nullo sensu pro infidelibus, qui in infidelitate moriuntur, orasse & mortem suam obtulisse. Unde sequitur etiam infideles illos, qui praedicato sibi Evangelio credere nolunt, nullum planè ad credendum sufficiens auxilium accipere: Ita, inquit ibidem, nec voluit (Pater) effectus istius voluntatis, hoc est, mortem orationem Christi ad omnes homines dilatari, sed vel ad solos illos, qui praedestinati sunt, quatenus pro aeterna & totali ipsorum salute offeruntur, vel certè aliquatenus quoque ad illos, qui ratione temporalis fidei, aut charitatis, effectus aliquos redemptionis ... assequuntur.

§. III.

Quid sentiat Janseius de gratia sufficiente, qualem defendunt Doctores omnes Catholici.

Nota. Gratia sufficiens, quam praeter gratiam efficacem consistendam esse docent Doctores Catholici omnes, est interior gratia excitans, de se & siue alio auxilio, quod se teneat ex parte actus primi, potens operari consensum voluntatis cum ipsa voluntate, qua voluntas potest pro arbitrio uti vel non uti, & cui consentiret si vellet, nec tamen consentit, quia non vult, quamvis possit velle. Unde haec gratia effectum suo frustratur, & actus salutaris, ad quem datur, non ponitur à voluntate, non quia voluntas non habet ad illum ponendum completam & expeditam potentiam, sed quia non vult

vult consentire & cooperari gratiæ, ipsam ad consentiendum & cooperandum excitanti.

Breviter. Gratia sufficiens, quam defendunt Doctores Catholici, est interior gratiæ excitans, dans completum posse, seu completam bonum volendi & operandi potentiam, quæ repudiari potest, & re ipsa repudiatur à voluntate.

Resp. Hanc gratiam Janseus exhorret, & totis viribus eam impugnatur, lib. 3. de gr. Chr. Salvatoris. Et 1. quidem dicit talem gratiam pertinere ad statum naturæ innocentis, non ad statum naturæ lapstæ: *Tale adjutorium*, inquit, cap. 1. *non est aliud, quam adjutorium sine quo non sit opus, nequaquam vero adjutorium quo; ac proinde est adjutorium sane voluntatis, seu primi hominis, non agra.*

2. Dicit esse Pelagianum adjutorium: *Est tantum*, inquit ibidem, *adjutorium possibilitatis, non voluntatis & actionis: dat enim homini posse si velit, non velle quod possit; ac proinde est Pelagianum cum adjutorium, non Christi Salvatoris.*

3. Dicit hoc adjutorium ab Ecclesia ut hæreticum proscriptum fuisse in Semipelagianis: *Est adjutorium*, inquit ibidem, *quod Massilienses ad credendum necessarium esse, atque ita sufficere statuabant, ut cum eo credere posset homo si vellet: qui tamen tanquam hæretici proscripti sunt: non aliam sanè ob causam, nisi quia tale auxilium homini sufficere putarent (supple ad completum posse.)*

4. Dicit ibidem, *tale adjutorium repugnare precibus, quas vel Deus Ecclesiæ sue tradidit, & inspiravit, vel ipsa sibi à Spiritu Sancto erudita formavit.* Addit cap. 2. hoc adjutorium esse prorsus inutile, imò & perniciosum: *Vidit Augustinus*, inquit, *hoc adjutorii genus jam esse prorsus inutile lapsorum reparationi vel operationibus, etiamsi ad sexcentas sufficientiæ gradus augetur..... Quòd si lapsus hominibus est inutilis (hæc gratia,) profecto hoc ipso & perniciosa est.*

5. Denique gratis ac falsò supponens gratiam sufficientem, quam defendunt Doctores Catholici, esse semper merè sufficientem, adeoque pro nullo casu possibili in hoc statu naturæ lapstæ effectum suum obtinere, vocat illam, monstruosam gratiam: *Quid monstruosius*, inquit, cap. 3. *proferri potest, quam quoddam distinctum à cæteris adjutorii genus, quod nunquam ab initio lapsus humani usque ad judicii diem, illum in humana voluntate effectum habuit, aut habiturum est?*

§. IV.

Quam Gratiam ut verè sufficientem agnoscat Janseus.

Resp. Janseus supponens, & quidem rectè, eam solam gratiam verè sufficientem esse, quæ dat completum posse, adeoque præter quam ad volendum & operandum bonum alia ex parte Dei per modum principii, seu per modum adjutorii actum primum completis, necessaria non est, intrepidè asserit nullam aliam esse gratiam pro præsentis statu naturæ lapstæ verè sufficientem, præter gratiam excitantem, ex natura sua efficacem, hoc est, præter gratiam excitantem, quæ ex natura sua irrepudiabilis est, & voluntatem ad volendum & operandum bonum irrepudiabiliter ac irresistibiliter prædeterminat.

Vocamus autem, inquit, lib. 3. de gratia, cap. 1. illam sufficientem gratiam, seu sufficientem adjutorium, præter quod nihil aliud ex parte Dei per modum principii necessarium est, ut homo velit & operetur. nullum igitur jam dari hominibus lapsis adjutorium sufficiens (in hoc vero sensu) quin sit simul efficax, in Augustini principii exploratum est. Non minus autem exploratum est, ipsum Janseum per gratiam efficacem intelligere excitantem gratiam irrepudiabilem & irresistibilem.

Ratio ejus est, quia, ut toto libro 2. de gratia probare nititur, sola gratia excitans, irrepudiabiliter & irresistibiliter determinans, est vera Christi gratia,

seu gratia medicinalis, adeoque quòd sola gratia excitans, irrepudiabiliter & irresistibiliter determinans, ex parte principii verè sufficiat ad hoc, ut homo velit & operetur bonum. Unde sequitur, solam gratiam excitantem, irrepudiabiliter & irresistibiliter determinantem, dici posse & esse gratiam sufficientem: gratiam verò repudiabilem, cum vim voluntatem prædeterminandi non habeat, & ita non sit gratia medicinalis, sed solum gratia sanitatis, non sufficientem, sed insufficientem esse gratiam, quantumcumque magna esse supponatur, etsi ad sexcentos sufficientiæ gradus augeatur.

Hinc vehementer invehitur in Doctores, qui gratiam sufficientem constituunt in excitante gratia repudiabili, adeoque volunt excitantem gratiam repudiabilem, esse verum Christi adjutorium, & medicinale gratiam: *Quæ hætenus*, inquit, lib. 3. de gr. cap. 1. *de medicinali Salvatoris adjutorio.... differimus, quo captivum arbitrium à concupiscentiæ servitute liberatur, & ut bonum velit & agat, adjuvatur; ad oculum, nisi fallor, ostendunt, quantopere à tramite veritatis aberraverint qui magis ex principii Philosophorum, quam Augustini, aut Ecclesiæ... gratiam (repudiabilem) quam sufficientem dicunt, pro vero Christi adjutorio protulerunt.*

Ratio ulterior pro Janseio, petita ex fonte & capite omnium ejus dogmatum, est quia, ut vult, voluntas nostra funditus & irreparabiliter per peccatum originale amisit facultatem se ipsam determinandi si ve ad bonum, si ve ad malum: ita ut in præsentis statu malum velit & operetur, quia ad illud volendum & operandum necessitatur, seu irresistibiliter moveatur & determinatur à cupiditate prædominante; nec velit & operetur bonum, nisi cum à prædominante gratia necessitatur, seu irresistibiliter determinatur ad illud volendum & operandum. Unde sequitur in præsentis statu non amplius locum esse excitanti gratiæ repudiabili, adeoque non habenti vim prædeterminandi voluntatem: neque aliam nunc esse gratiam verè sufficientem ad volendum & operandum bonum, præter excitantem gratiam irrepudiabilem, adeoque habentem vim voluntatem ad volendum & operandum bonum necessitandi, seu applicandi irrepudiabiliter. Nam systema Thomisticum, ut Augustini doctrinæ contrarium, explodit Janseus.

§. V.

Quid circa gratiæ sufficientis distributionem sentiat Janseus.

1. Docet omnibus Judæis, paucis exceptis, Prophetis scilicet, & aliis similibus, denegatam esse gratiam sufficientem ad servandam legem Mosaicam, & multò magis gratiam sufficientem ad salutem: imò gratiam illam repugnasse scopo legis Mosaicæ, adeoque Judæos illa carere debuisse, sic ut nullis, aut non nisi perpauca daretur: *Ex his igitur*, inquit, lib. 3. de grat. c. 5. *sufficienter demonstrari puto, esse quendam sub lege statum, sub quo generaliter, paucis exceptis, Judaica natio ante Salvatoris adventum fuit, in quo non solum non dabatur gratia sufficiens implendi id quod jubebatur, multò minus gratia sufficiens ad salutem: sed è contrariò..... talis gratia latiori legis ac scopo Dei capitaliter repugnabat. Nam... legislatio illum habebat scopum, ut insonante præcepto, ac terribiliter penas, nisi hoc facerent, comminante, gratia necessitatem ipsa gratia adjuvantis subtractione doceretur.*

2. Quod de Judæis, de multis etiam fidelibus non obduratis docet, quibus ait in lege nova gratiam ad implenda mandata divina idoneam deesse: *Quòd si*, inquit ibidem, *generatim loquendo, toti Judaico populo, præter paucos, sufficiens implenda legi gratia subtracta fuit.... nemo miretur, si & Christianis fidelibus nonnullis, de sua potestate adhuc præsumptibus, idem durissima institutionis genus adhiberi, Augustino nobis præcurrente, dicamus. Nam & illis gratiam implendi (præcepta) sufficientem non infrequenter.*

zer subtrahit Deus, ut eis ipsa gratia subtractione ac dilutione, humilitas ac gratia necessitas commendetur.

Potest per hanc vocem, nonnullis, qua de industria utitur, ne tam horribili doctrina terreatur lectores, non potest non intelligere Jansenius innumerales ferè Christianos fideles non obduratos, eos scilicet omnes, qui identidem mandata divina transgrediuntur. Cum enim in doctrina Jansenii nemo possit transgredi mandata divina cum gratia sufficiente ad illa implenda, necesse est in doctrina Jansenii, eos omnes, qui mandata divina transgrediuntur, toties carere gratia sufficiente ad illa implenda, quoties illa transgrediuntur.

3. Docet excæcatos & obduratos carere omni gratia sufficiente ad vitanda peccata, & sic necessario peccare, & quidem imputabiliter: *Ex his*, inquit, eodem lib. cap. 10. *que jam dicimus, consentaneum esse facile videt quisquis Augustini principis innuitus est, excæcatis & obduratis deesse sufficientem gratiam, non solum eam, qua cordis oculis videant veritatem, eamque mollita voluntate sentiant, sed etiam eam, qua peccata cavere possint.*

4. Docet ibid. cap. 11. infideles carere omni gratia sufficiente ad vitanda peccata, adeoque carere omni gratia sufficiente ad salutem æternam adipiscendam. Addit eos in omnibus actibus suis peccare, & nullum omnino opus, quod sit moraliter bonum, ab eis fieri posse; quia, ut ait, omne opus moraliter bonum supponit duo principia, ex quibus esse debet, nempe veram Christi fidem, & charitatem, quo utroque principio carent infideles.

5. Docet etiam fidelibus justis aliqua præcepta, ea scilicet quæ re ipsa transgrediuntur, esse observatu impossibilia, quia ad ea observanda carent omni gratia sufficiente, tam proxima, quam remota: *Hæc igitur omnia*, inquit, ibid. cap. 13. *plenissime planissimeque demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrina certius ac fundatius, quam esse præcepta quedam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque & justis, volentibus, conantibus secundum præsentis quas habent vires, sunt impossibilia; deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia. Hoc enim sancti Petri exemplo aliisque multis quotidie manifestum esse, qui tentantur ultra, quam possint sustinere.*

6. Cum nolit ullam esse gratiam verè sufficientem, quæ non sit simul efficax, & infructuabiliter efficax, adeoque nolit ullam gratiam esse verè sufficientem, quæ frustreretur, aut frustrari possit effectu suo; juxta illud, illi tantum accipiunt gratiam sufficientem ad implenda mandata divina, qui ea implent. Item illi tantum accipiunt gratiam sufficientem ad superandas tentationes, qui eas superant. Item illi tantum accipiunt gratiam sufficientem ad exercenda pietatis opera, ad credendum, ad sperandum, ad diligendum Deum, qui exercent pietatis opera, qui credunt, qui sperant, qui Deum diligunt. Item illi tantum accipiunt gratiam sufficientem ad assequendam salutem, qui eam assequuntur. Unde à posteriori inferitur in doctrina Jansenii Christum mortuum esse pro salute eorum tantum, & ita Deum velle salvos fieri eos tantum, qui re ipsa salvantur.

ARTICULUS II.

Utrum admitti debeat gratia sufficiens.

RESPONSIO.

Pater gratiam efficacem datur gratia sufficiens, hoc est, gratia interior excitans, dans completum posse voluntati, seu quacum voluntas habet completam & expeditam potestatem operandi bonum, quod tamen non operatur, quia non vult.

Est de fide contra Calvinistas & Jansenium, & prob. 1. Ex Scriptura. Nam dicitur Proverb. cap. 1. *Vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspicere; despectistis omne consilium meum,*

& increpationes meas neglexistis. Ego quoque in intuitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. Continent hæc verba objurgationem & comminationem gravissimam adversus eos, qui vocati à Deo venire renuunt. Hæc autem objurgatio manifestè esset iniqua, si ii, qui objurgantur quia Deum vocantem non sequuntur, non haberent interiorem gratiam sufficientem ad sequendum vocantem Deum. Talem igitur habent gratiam, quacum sequerentur Deum vocantem, si vellent, & quacum tamen non sequuntur, quia nolunt. Unde jure merito objurgantur, quod Deum vocantem non sequantur, quia non ex impotentia sequendi, sed ex voluntatis suæ malitia non sequuntur. Ergo ex Scriptura datur gratia verè sufficiens ad operandum bonum, quacum tamen voluntas bonum non operatur, quia non vult ei consentire, & cum ea bonum operari.

Prob. 2. Autoritate Conciliorum, videlicet Araucani II. c. 25. ubi dicitur: *Hoc secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Unde sic argumentor. Fides Catholica docet, quod baptizati omnes possint adimplere ea omnia, quæ ad salutem pertinent. Atqui quæ ad salutem pertinent, non possunt adimpleri sine interiore gratia, potentiam ad ea implenda complectente. Ergo baptizati omnes habent (pro loco scilicet & tempore) interiorem gratiam, quæ complet potentiam ad implenda ea, quæ pertinent ad salutem. Atqui non omnes habent efficacem; cum aliqui, imò multi non adimpleant ea, quæ pertinent ad salutem. Ergo aliqui, imò multi habent merè sufficientem, quacum scilicet ea, quæ pertinent ad salutem, non adimplent, non quia non possunt, sed quia fideliter laborare nolunt.

Concilii Valentini III. can. 2. ubi dicitur: *Nec ipsi mali ideo pereunt, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suæque vitia in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.* Unde sic argumentor. Qui remanent in massa damnationis, & pereunt, potuerunt esse boni, & boni non fuerunt, non quia non potuerunt esse, sed præcisè quia noluerunt. Atqui non potuerunt esse boni sine auxilio interioris gratiæ, dantis completum posse. Ergo habuerunt interiorem gratiam, dantem completum posse. Ergo vel efficacem habuerunt, vel merè sufficientem. Non primum; alioqui boni esse voluissent. Ergo secundum. Habuerunt igitur gratiam verè sufficientem, quacum boni fuissent, si voluissent; quacum tamen boni non fuerunt, quia noluerunt, & sic in massa damnationis, non ex impotentia emergendi, sed ex malitia sua permanserunt.

Concilii Trident. sess. 6. c. 11. *Nemo*, inquit, *temeraria illa & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti (debet). Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis, &c.* Unde sic argumentor. Nulla præcepta divina, quorum tamen multa observari non possunt sine interiore gratia, sunt ad observandum impossibilia hominibus justificatis. Ergo homines justificati omnes habent pro loco & tempore interiorem gratiam, ad observanda omnia præcepta divina necessariam. Atqui hæc gratia non est efficax in omnibus justificatis; cum non omnes justificati observent omnia præcepta divina, sed è contra aliqui, imò multi aliqua transgrediantur. Ergo hæc gratia in aliquibus, imò & in multis, est merè sufficiens. Ergo, &c.

Eadem Synodus, eadem sess. cap. 13. sic adhuc loquitur: *Nemo (justificatus) sibi cerè aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut cupit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Hic manifestè loquitur, non de habituali, sed de actuali gratia: loquitur enim de gratia, qua Deus inchoat

inchoat bonum opus, & inchoatum perficit, operans velle & perficere. Hoc autem utrumque præstat per actualem gratiam.

Sic itaque argumentor. Iustificati, qui è statu iustitiæ excidunt, excidunt non quia deest illis actualis gratia Dei, sed quia ipsi actuali gratiæ Dei defunt: nam, ut dicit Synodus, nisi ipsi actuali gratiæ Dei deessent, in statu iustitiæ permanerent. Atqui manifestum est illum habere actualem gratiam, ad permanendum in statu iustitiæ sufficientem, qui è statu illo excidit, non quia deest illi actualis gratia Dei, sed quia ipse actuali gratiæ Dei deest. Ergo iustificati, qui è statu iustitiæ excidunt, habent actualem gratiam, ad permanendum in illo statu verè sufficientem, quacum permanerent, si illi non deessent, hoc est, si illi cooperari vellent, & quacum non permanent, quia illi defunt, hoc est, quia illi cooperari nolunt. Ergo præter gratiam efficacem, quacum iusti prædestinati permanent in statu iustitiæ, datur alia verè sufficiens, quacum iusti reprobi permanerent, si vellent, & quacum non permanent, non quia non possunt, sed quia nolunt. Unde fit, ut hæc gratia sit merè sufficiens.

Prob. 3. Autoritate Innocentii X. in Bulla quæ incipit: *Cum occasione*, ubi hanc Janlenii propositionem (*Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*) damnat, ut hæreticam. Omni propositioni hæreticæ contradictoria est vera, & veritas ejus est de fide: non enim potest Ecclesia aliquam propositionem damnare ut hæreticam, quin simul & indivisibiliter definiat contradictoriam ejus esse veram, ejusque veritatem unam esse è veritatibus à Deo revelatis. Et verò propositio aliqua non potest esse hæretica, nisi vel affirmando aliquid oppositum veritati revelatæ, vel negando aliquam veritatem sive in se, sive in alio revelatam, quæ proinde non potest non esse de fide, saltem cum accessit judicium Ecclesiæ. Atqui hujus propositionis Janlenianæ (*Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*) contradictoria est hæc: (*Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur.*) Ergo hæc propositio (*Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur*) vera est, & de fide. Ergo verum est, & de fide, quòd gratia interior in statu naturæ lapsæ non semper habeat effectum, adeòque quòd præter interiorem gratiam efficacem sit etiam alia interior gratia purè sufficiens; sufficiens quidem, quia sufficit ad effectum ad quem datur, & purè sufficiens, quia effectum ad quem datur, non obtinet, eò quòd ei resistitur.

Prob. 4. Autoritate sancti Augustini in lib. 83. qq. quæst. 68. ubi hæc habet: *Ad illam canonem nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi qui venerunt, venire possent, nisi vocati. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi: quoniam ut venirent vocati, erat in eorum libera potestate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire negligit.* Hic autem loquitur S. Doctor non solum de vocatione externa, sed etiam & potissimum de interna: loquitur enim de vocatione, quæ veniendi voluntatem operatur in iis, qui vocati veniunt. Vocatio autem, quæ hanc voluntatem operatur, non est externa, sed interna vocatio. Hoc præsupposito,

Argumentor sic. Qui ita vocatur à Deo, ut venire sit in eorum libera potestate; ita ut, si non veniunt, non veniant, præcisè quia venire negligunt; illi profectò vires habent sufficientes ad veniendum, & ad sequendum vocantem Deum. Sed qui vocati à Deo non veniunt, ita ab eo vocantur, ut venire sit in eorum libera potestate, & non veniant, non quia non possunt venire, sed præcisè quia venire negligunt. Ergo qui vocati à Deo non veniunt, habent vires sufficientes ad veniendum, & ad sequendum vocantem Deum.

Juxta S. Doctorem igitur, etiam in presenti sta-

tu duplex est vocatio interna, una efficax, & altera merè sufficiens. Cum prima, qui vocatur, venit, quia vult, & vult quia vocatur quomodo ei congruit ut veniat: unde quod veniat, non sibi, sed Deo congruè vocanti tribuere debet. Cum secunda, qui vocatur, non venit, sed venire potest; & venire potest, quia vocatur quomodo ei sufficit ad veniendum, quamvis non quomodo ei congruit ut venire velit: unde quòd non veniat, sibi nolenti tribuere debet, non Deo illum sic vocanti; cum Deus illum vocet quomodo ei aptum est ut possit venire, nec teneatur illum vocare quomodo ei aptum est, ut venire velit.

ARTICULUS III

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Quòd in presenti statu detur gratia sufficiens, quæ non sit etiam efficax, capitaliter repugnat doctrinæ S. Augustini. Ergo, &c. *Resp. neg.* ant. cujus falsitas evidenter patet vel ex uno illo S. Doctoris textu, quem modò allegavimus: in eo enim agnoscit interiorem gratiam vocantem, quæ vocati non veniunt, quia nolunt, quia negligunt venire; qui proinde venirent, si vellent, si venire non negligerent. At qui venirent, si vellent, si venire non negligerent, habet vires sufficientes ad veniendum, ut per se manifestum est. Ergo juxta S. Doctorem, interior gratia vocans, etiam ea qua, qui vocantur, non veniunt, adeòque etiam ea, quæ non est efficax, dat vires sufficientes ad veniendum, iis quos vocat, & ita est gratia verè sufficiens.

Prob. tamen ant. S. Augustinus, lib. de corr. & gr. cap. 11. & 12. 1. Dividit actualem gratiam internam in adjutorium sine quo non, & adjutorium quo. 2. Per adjutorium sine quo non, intelligit adjutorium ex natura sua repudiabile, quocum voluntas bonum operatur si vult, non operatur si non vult; per adjutorium verò quo, intelligit adjutorium ex natura sua irrepudiabile, quocum proinde voluntas non potest non velle & operari bonum. 3. Docet auxilium sine quo non, fuisse adjutorium naturæ sanæ; adjutoria verò quo, esse adjutorium naturæ agrotæ: quia cum adjutorio repudiabili natura sana potuit velle & operari bonum; natura verò agrotæ sine auxilio irrepudiabili non potest. Ex quibus manifestè sequitur, juxta Sancti Doctorem, in hoc statu præter actualem gratiam ex natura sua irrepudiabilem, ac proinde irrepudiabiliter efficacem, non aliam esse actualem gratiam ad volendum & operandum bonum verè sufficientem.

Resp. 1. neg. Quòd S. Augustinus dividat actualem gratiam internam in adjutorium sine quo non, & adjutorium quo. Duplex quidem distinguit adjutorium, libro de corr. & grat. cap. 12. nempe adjutorium sine quo non, & adjutorium quo. Item dicit gratiam Adamo datam ad perseverandum in statu innocentie, fuisse adjutorium sine quo non; gratiam verò quæ nunc ad perseverandum in statu iustitiæ datur Sanctis, esse adjutorium quo. Item per adjutorium sine quo non, Adamo ad perseverandum in statu innocentie datum, intelligit, ut nos credimus, actualem gratiam supernaturalis illustrationis, qua Adamo ostendebatur malum vitandum & bonum faciendum. At quòd hic capitale est, per adjutorium quo, quòd electis nunc datur ad perseverandum in statu iustitiæ, non intelligit actualem aliquam gratiam, sed mortem in iis circumstantiis, in quibus homo justus est, procuratam. Quòd ita planum est, ut mirum videri debeat, quòd Janlenius tanto successu hac in re tot Doctoribus scholasticis imponere potuerit.

Sed dato tamen, quòd S. Augustinus actualem gratiam internam distinxerit in adjutorium sine quo non, & adjutorium quo; *Resp. 2.* Gratis & planè falsò post Calvinum dici, quòd S. Doctor per adjutorium quo, intellexerit excitantem gratiam irrepudiabilem.

diabilem & irresistibilem. Et dico eum per adiutorium quo creditur, speratur, diligitur, &c. intellexisse inspirationis gratiam, ex natura sua repudiabilem, à qua voluntas immediatè afficitur, excitatur, corroboratur, & movetur quomodo ei congruit, ut credat, speret, diligit, &c.

Non minus falsum est quod additur, videlicet S. Augustinum docuisse, omnem actualem gratiam excitantem naturæ innocentis fuisse adiutorium sine quo non, omnem verò actualem gratiam excitantem naturæ lapsæ esse adiutorium quo. Et dico, secundum mentem S. Doctoris, utramque gratiam in utroque statu locum habere. Itaque quantum attinet ad statum innocentie supernaturalis, illustratio, in qua gratia excitans naturæ sanæ consistebat, fuit auxilium quo, quoties, ea prælucente, Adamus innocens opera salutaria exercebat; & fuit tantum auxilium sine quo non, quando v. gr. Adamus, suadente uxore, pomum vitium comedit, & comedendo lapsus est.

Similiter, quantum attinet ad statum præsentem, inspirationis gratia, in qua potissimum consistit gratia excitans naturæ ægrota, est auxilium quo, quoties voluntas cum ea bonum vult & operatur; & est tantum auxilium sine quo non, quando voluntas bonum, quod cum ea potest operari, non operatur, quia non vult. Exemplum habemus in textu S. Doctoris à nobis allegato. Nam interna vocatio, qua Deus ad cœnam suam vocat homines, in iis qui vocati veniunt, est adiutorium quo veniunt; in iis verò, qui vocati non veniunt, est adiutorium sine quo non possunt venire, & quocum possunt, sed non veniunt, quia venire negligunt.

Amplius. Cum in præsentī statu interior gratia excitans, sit ex natura sua repudiabilis, quandoque, etiam eadem specie & intentione, efficax est, quandoque non, quia quandoque nobis congruit ut velimus, quandoque non congruit: unde quandoque est adiutorium quo, quandoque adiutorium sine quo non tantum: nam quando est efficax, est adiutorium quo re ipsa volumus, sive adiutorium quo voluntas nostra immediatè à Deo excitata & adjuvata vult & operatur bonum, ad quod volendum & operandum non necessitatur, sed solum congruè movetur: quando verò non est efficax, est tantum adiutorium sine quo non possumus, & quocum possumus velle: dat enim nobis vires ad volendum sufficientes, sed non dat congruas, & sic dat posse, sed non dat velle & agere, quod daret, si congrueret, & tunc esset adiutorium quo vellemus & ageremus.

Obj. 2. Gratia sufficiens est adiutorium possibilitatis, non voluntatis & actionis. Ergo est adiutorium Pelagianum, & à S. Augustino reprobatur. *Resp. 1.* Gratiam sufficientem, quam cum Catholicis Doctoribus defendimus, in aliquo sensu dici posse adiutorium possibilitatis, non voluntatis & actionis, in quantum scilicet dat voluntati posse tantum, quia voluntas ei resistendo, impedit eam, quominus det etiam velle & agere: cum è contra gratia efficax sit adiutorium non solum possibilitatis, sed etiam voluntatis & actionis, quia voluntati dat non solum posse, sed etiam velle & agere, movendo scilicet illam, quomodo illi congruit ut velit & agat, simulque ad volendum & agendum, seu, quod idem est, volentem & agentem immediatè & intimè adjuvando.

Resp. 2. Adiutorium possibilitatis, non voluntatis & actionis, in hoc sensu, non esse adiutorium possibilitatis, non voluntatis & actionis, in sensu Pelagii. Nam Pelagius, 1. per adiutorium possibilitatis, non adiutorium dans, sed solum adiutorium adjuvans posse intelligebat: volebat enim liberum arbitrium per se solum valere ad opus salutare quodlibet, adeoque liberum arbitrium non indigere gratia ad posse simpliciter, sed tantum ad facilius posse. 2. Adiutorium illud possibilitatis constabat in lege atque doctrina, forinsecus, vel etiam intrinsecus per illustrationem propositis, & sic quid prosequendum, quidve fugiendum esset ostendentibus. 3. Asserendo non voluntatem & actionem in operibus salutaribus, sed solum

Simonnet Theol. Tom. II.

possibilitatem adjuvari, negabat nos velle & operari bonum dependenter ab interiore gratia, in libero nostro arbitrio immediatè recepta, illudque immediatè & intimè afficiente, excitante, corroborante & adjuvante ad volendum & operandum bonum, ad quod, ut malè putabat, nequidem adiutorio se tenente ex parte intellectus voluntas nostra indiget, nisi ut facilius velit & operetur.

Cum hac autem Pelagii doctrina, à S. Augustino & aliis Doctoribus Catholicis iure merito reprobata, nihil habet commune nostra de gratia sufficiente doctrina, in qua gratia sufficiens est gratia non externa, sed interna, nec tantum ex parte intellectus, sed etiam ex parte voluntatis se tenens immediatè: cum sit non tantum illustratio recepta in intellectu, sed etiam inspiratio in voluntate recepta. Unde secundum nos, non solum adjuvat posse, ostendendo voluntati bonum faciendum & malum fugiendum, sed etiam dat ipsum posse, voluntatem ægrota sanando, torpentem excitando, infirmam corroborando quantum oportet, ut bonum faciat, vel fugiat malum, si velit.

Quare si gratia sufficiens non est adiutorium voluntatis & actionis, hoc contingit ex vicio liberi arbitrii, quod consentire non vult gratia; & si consentiret, gratia tunc esset adiutorium voluntatis & actionis, nec tantum daret posse, sed etiam velle & agere, quia liberum arbitrium non velleret & ageret, nisi dependenter ab ea ut immediatè præmovente & adjuvante ad volendum & agendum.

Denique cum Pelagium asserentem adiutorium possibilitatis, non voluntatis & actionis reprehendit S. Augustinus, ab eoque postulat, ut adiutorium voluntatis & actionis confiteatur, non petit ab eo, ut rejiciat omnem gratiam, quæ det posse tantum, & agnoscat solum gratiam, quæ dat non solum posse, sed etiam velle & agere, adeoque nullam aliam gratiam, præter efficacem, profiteatur: sed solum ab eo petit, ut fateatur nos in omni opere salutari, quod exerceamus, adjuvari per interiorem gratiam, in voluntate nostra immediatè & intimè receptam, eique ad bonum volendum & operandum vires subministrantem, sine quibus nec vellemus & operaremur bonum, imò nec illud velle & operari possemus. Quod non impedit, quominus præter gratiam, quæ modo explicato dat nobis velle & agere, quoties bonum salutare volumus & agimus, aliam etiam agnoscamus, quæ nobis dat tantum posse, quia non volumus, & quæ nobis daret etiam velle & agere, si vellemus & ageremus.

Obj. 3. Si homo posset bonum velle & agere cum gratia sufficiente, qualem admittimus, hoc est, cum interiore gratia excitante repudiabili, quæ non habet effectum, quia nolumus ei consentire, homo posset in hoc statu naturæ lapsæ sibi, non Deo donante, tribuere bonam actionem & meritum. Item posset se ipsum ab aliis per voluntatis libertatem discernere. Absurdum utrumque con. Ergo, &c.

Resp. Neg. 1. sequent. Nam si homo cum illa gratia bonum, ut potest, re ipsa velleret & ageret, non velleret & ageret, nisi dependenter à Deo, ipsius voluntatem per gratiam illam immediatè præmovente & adjuvante ad volendum & agendum, & consequenter non velleret & ageret, nisi dependenter à Deo, ei per gratiam illam donante, ut velleret & ageret. Hanc doctrinam expressè tradit sanctus Augustinus, lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. his verbis: *Noluit ergo Esau, & non cucurrit; sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adiutorio pervenisset, qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta, reprobis fieret.*

Itaque juxta S. Augustinum, 1. Esau à Deo vocatus non cucurrit, non quia non potuit, sed quia noluit currere. 2. Si voluisset & cucurrisset, voluisset & cucurrisset dependenter à Deo, ei vocatione sua præstante & donante ut velleret & curreret. 3. Deus tamen vocatione sua non præstitit & donavit Esau ut velleret & curreret, quia Esau vocationem contempnit, & contemnendo impedivit ne Deus ipsa illa

G voca-

vocatione præstaret, eique donaret, ut vellet & cur-
reret. Potest igitur homo, juxta S. Doctorem, etiam
in præfenti statu habere gratiam verè sufficientem,
& tamen non operari bonum, ad quod operandum
gratia illa data est, quia potest gratiam illam con-
temnere, & re ipsa contemnit ei dissentiendo: un-
de Deus cum possit, non illi dar etiam velle & age-
re. At si consentiendo gratiæ, ut potest, vellet &
operaretur bonum, non vellet & operaretur, nisi
Deo ipsi per gratiam illam, cui consentiret, donan-
te ut vellet & operaretur.

Resp. neg. etiam 2. seq. Nam si homo cum gra-
tia illa, quæ merè sufficiens est, quia rejicitur, bo-
num vellet & ageret, vellet & ageret dependenter
à Deo, ipsum saltem natura prius vocante quomo-
do ei congrueret, ut vellet & ageret, adedque de-
pendenter à Deo ipsum saltem natura prius vocatio-
ne sua discernente, quàm vellet & ageret. Deus e-
nim vocando hominem quomodo scit ei congruere,
ut vocantem non respuat, hoc ipso discernit illum
ab aliis, quos non sic vocat. Sed

Nota. Hæc duæ veritates: Homo vocatus à Deo,
vult & agit bonum; Deus vocat hominem quomo-
do scit ei congruere ut vellet & agat bonum: ita
connexæ sunt inter se, ut prima absoluta necessitate
supponat secundam, & secunda absoluta necessitate
inferat primam. Unde supponi non potest, homi-
nem à Deo vocatum, velle & agere bonum, quin
supponatur, Deum saltem natura prius vocasse ho-
minem, quomodo scit ei congruere ut vellet & agat
bonum, & consequenter quin supponatur, hominem
à Deo saltem natura prius discretum esse per voca-
tionem congruam. Quare ex eo quod homo cum
gratia sufficiente possit velle & operari bonum, non
aliud sequitur, quàm quod possit non impedire di-
cretionem sui per hanc gratiam, ei consentiendo;
sic tamen ut si supponatur ei consentire, & ita cum
ea bonum velle & agere, necessariò supponendus
sit per eam à Deo discretus fuisse saltem natura
prius, quàm consentiret, atque bonum vellet &
ageret.

Obj. 4. Gratia sufficiens non est gratia: nam se-
cundum nos, est debita naturæ. Ergo, &c. *Resp.*
neg. ant. & ejus prob. Nam Deus, secundum nos,
potuit etiam absque indecentia condere creaturam
rationalem, tam angelicam, quàm humanam, sine
ordinatione ad finem supernaturalem: quare, secun-
dum nos, gratia nec debetur naturæ rationali, nec
ab ea exigitur connaturaliter. Attamen supposito
quod Deus ad finem supernaturalem elevare velit
creaturam rationalem, eique dare præcepta, quæ ob-
servari non possint absque gratia, tenetur, non qui-
dem creaturæ rationali, sed sibi, nimirum ut sapien-
ter & convenienter elevet atque præcipiat; suppe-
ditare auxilia gratiæ, sine quibus creatura rationalis
non potest assequi finem illum, ad quem est ordi-
nata, & imposita sibi præcepta adimplere: nam si
talìa auxilia in suppositione facta Deus non suppe-
ditaret, creaturam rationalem ordinaret ad finem,
ad quem noller eam pervenire, eique præciperet im-
possibilia; quod à Deo sapienter & convenienter
fieri posse, nemo sanæ mentis dixerit.

Potè loquimur de creatura innocente; aliud e-
nim est de creatura peccati rea: nam quamvis Deus
humanam naturam ad finem supernaturalem ordina-
verit, posset nihilominus non solum aliquibus, sed
etiam omnibus omnino hominibus, ex Adamo na-
turaliter descendentes, gratiam ad salutem con-
sequendam sufficientem absque injuria, & indecen-
tia denegare, præciso, scilicet, redemptionis præ-
tio à Christo oblato, & à Patre acceptato. Ratio
est, quia omnes homines, ex Adamo naturaliter de-
scendentes, nascuntur peccatores & filii iræ, quibus
aded jure debetur nihil nisi pœna. Unde illud Sa-
pient. cap. 12. *Quis stabit contra judicium tuum,
aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas
tu fecisti?*

Dixi, gratiam sufficientem ad salutem consequen-

dam; nam Deus in hoc statu naturæ lapsæ nobis
non potest denegare auxilia gratiæ, sine quibus ad-
implere non possumus mandata ejus, supposito quod
velit ea à nobis adimpleri, eorumque transgressio-
nem non adimplentibus imputari: Deus enim im-
possibilia jubere non potest; & nemo potest pecca-
re imputabiliter, aut non faciendo quod facere non
potest, aut non cavendo quod non potest cavere.

Obj. 5. Gratia sufficiens nunquam habuit effectum,
& nunquam habitura est. Ergo est gratia inutilis,
perniciosa & monstrosa. *Resp. Neg. ant.* Universaliter
sumptum pro omnibus circumstantiis possibilibus
in hoc statu naturæ lapsæ. Itaque gratia sufficiens,
qualem defendimus, nunquam quidem habuit, aut
habitura est effectum in iis circumstantiis pro qui-
bus supponitur fuisse, aut fore merè sufficiens; at
habuit aut habuisset; item habitura est, aut habitu-
ra esset in aliis. Pro quo

Nota. Eadem etiam specie & intensiōne gratia,
quæ incongrua est pro aliquibus circumstantiis, pro
aliis congrua esse potest, & est. Unde eadem etiam
specie & intensiōne gratia sic est purè sufficiens pro
aliquibus circumstantiis, ut possit esse & sit efficax
pro aliis. Quare eadem etiam specie & intensiōne
gratia quæ non habuit, aut habitura est effectum in
certis circumstantiis, in quibus erit incongrua &
inefficax, adedque purè sufficiens, habuit in aliis,
si data est, vel habuisset, si data esset; item habi-
tura est in aliis, si dabitur, vel habitura esset, si
daretur: quia in aliis fuit vel fuisset, item in aliis
erit vel esset congrua & efficax.

Perperam ergo dicitur, gratiam sufficientem, qua-
lem defendimus, 1. esse monstrosam gratiam, quasi
verò monstrum sit, quod eadem etiam specie & in-
tensiōne gratia aliquando congruat, & aliquando
non congruat etiam eidem homini, ut vellet & ope-
retur bonum. 2. Perniciosam; cum voluntas possit
eam in bonum suum acceptare, eique consentiendo,
bene & sicut ad salutem hominis oportet, velle & operari;
nec in damnum hominis vergat, nisi quia ipse vo-
lens ac lubens illam repudiat in perniciem suam.
3. Inutilem: quod enim non habeat effectum, hoc
provenit ex vitio voluntatis, eam abicientis, & no-
lentis ea uti, non ex defectu alicujus virtutis ad bo-
num volendum & operandum necessariæ: nam gra-
tiæ incongruitas nihil virtutis ad bonum volendum
& agendum necessariæ subtrahit, ut patet ex gra-
tia, quæ manens eadem in specie & in intensiōne,
in aliquibus circumstantiis congrua est, & in aliis
incongrua respectu ejusdem subjecti: quod nonnisi
perperam negaretur. Malè autem dicitur medium
aliquid inutile, quod ita valet ad effectum ad quem
datur, ut si velis eo medio uti, effectum illum ob-
tineas, & quem proinde non obtines, nisi quia me-
dium respicis, & eo uti dedignaris.

Obj. 6. Gratia sufficiens repugnat precibus Eccle-
siæ. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam Ecclesia in preci-
bus suis non postulat à Deo, ut possimus bonum
velle & agere, sed ut re ipsa illud velimus & aga-
mus. Ergo, &c. *Resp. neg. ant. Ad prob. Resp.*
neg. conseq. Non enim sic orat Ecclesia, eò quod
non dentur gratiæ, quibuscum verè possumus bonum
velle & agere, quod tamen nec agimus nec volu-
mus, gratias illas liberè repudiando; sed quia non
nisi bonum volendo & agendo salvabimur, & ita
non salvabimur sine gratiis efficacibus, quantumvis
cum sufficientibus possemus salvari, & salvaremur,
si vellemus his gratiis cooperari. Unde gratias effi-
caces, non sufficientes, in orationibus suis petit
Ecclesia.

ARTICULUS IV.

Utrum fidelibus iustificatis deus gratia sufficiens ad servanda praecepta divina, & ad permanendum in statu iustitiae.

RESPONSIO I.

Fideles iustificati accipiunt gratiam verè sufficientem ad servanda praecepta divina, etiam quando ea transgrediuntur.

Est de fide, & prob. 1. ex Scriptura. Nam dicitur Matth. cap. 11. *Iugum meum suave est, & onus meum leve.* Et 1. Joan. cap. 5. *Mandata eius gravia non sunt.* Quae verba pertinent saltem ad fideles iustificatos, & aperte significant illis dari gratiam, quacum possunt, si velint, servare omnia mandata divina.

Prob. 2. Ex S. Augustino in lib. de fide contra Manichaeos, cap. 10. *Quis, inquit, non clamer stultum esse, praecepta dare ei, cui liberum non est, quod praecipitur facere: & iniquum esse cum damnare, cui non fuit potestas iusta complere?* Et in lib. de nat. & grat. c. 69. *Valde autem bona sunt praecepta, inquit, sit legitime his utamur. Eo quippe ipso quo firmissimè creditur, Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse praecipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Et in lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 16. ubi sic ait: *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: Non jubet Deus quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua quae non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.* Et inferius: *Certum est nos servare mandata, si volumus; sed quia preparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus.*

Ex his textibus habemus, S. Doctorem ante & post exortam Pelagianam haeresim, 1. ut exploratum & apud omnes indubitatum tenuisse, quod Deus, utpote summè iustus & bonus, nulla hominibus praecepta imponat, quae ab illis servari non possint. Quod certè imprimis verum est de hominibus fidelibus & iustis, cum sint amici Dei, filii ejus adoptivi, & haeredes: Deum enim ab amicis, filiis adoptivis, ac haeredibus aliquid exigere, quod ab eis sciret fieri non posse, quis vel suspicari potest, si de bonitate & iustitia illius ut par est sentiat?

2. Deum praeter praecepta, quae cum solis naturae viribus servare possumus, alia etiam nobis imponere praecepta, quae servare non possumus sine gratia, & ad haec servanda nobis, cum opus est, praestò adesse auxilium saltem remotè sufficiens, nempe gratiam orandi, & petendi gratiam, qua tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus quod nobis praeceptum est.

3. Pelagianos, Deum impossibilia non praecipere, ad nauseam inculcantes capere, cum id à nemine vocaretur, aut vocari posset in controversiam; eosque reprehendere, non quod assererent Deum non jubere homini, quod scit ab homine non posse fieri; cum id verum esse nemo non agnoscat; sed quod inde colligerent, hominem ad servanda mandata divina adiutorio gratiae non indigere. Deus, inquit, S. Doctor, praecipit nobis aliqua, quae naturales arbitrii vires superant; non idcirco tamen praecipit impossibilia, quia quae vires arbitrii superant, non superant vires Dei praecipientis, qui proinde arbitrio subvenire potest, quantum necesse est ut possit, imò & tantum velit, quantum sufficit ut volendo faciat quod praecipitur: *Hic* (verba sunt S. Doctoris, lib. 2. de peccator. meritis & remis. cap. 6.) *atque huiusmodi aliis innumereabilibus testimoniis dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini praecipisse, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat quod jubet, impossibile aliquid esse.*

Deus igitur, juxta S. Doctorem, hominibus non jubet impossibilia, non quia nihil jubet quod excedat naturalem facultatem, ut volebant Pelagiani, sed quia

Simonnet Theol. Tom. II.

in his quae jubet, & facultatem naturalem excedunt, paratus est ad juvandum, & re ipsa juvat homines, vel dando auxilium, quocum abique ulteriori adimplere possunt id quod jubetur, vel saltem dando aliud remotius, quocum illud proximè requisitum possunt, si volunt, obtinere: unde si illo privantur, urgente praeepto, hoc sibi, non Deo imputare debent. Haec autem Dei hominibus generatim dicta, certo certius, secundum mentem S. Doctoris, à fortiori intelligenda sunt de iis, qui fideles sunt & iusti.

Prob. 3. Ex Conciliis, nempe Arausicano II. can. 25. ubi dicitur, omnes, qui per baptismum iustificati sunt, Christo auxiliante & cooperante, quae ad salutem pertinent, posse adimplere, si fideliter laborare voluerint. Et Trident. sess. 6. c. 11. ubi dicitur: *Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti (debet) Dei praecepta homini iustificato esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possit, & petere quod non possit, & adjuvat ut possit.* Juxta Synodum igitur, nulla Dei praecepta, quantumlibet illis vires naturae impares sint, impossibilia sunt hominibus iustificatis; quia ad ea, cum urget eorum obligatio, implenda, habent actualem gratiam proximè sufficientem, vel si non habent, quod quandoque, imò saepe contingere potest, habent saltem gratiam remotè sufficientem, quacum orare possunt, & orando impetrare auxilium proximè sufficiens, quo proinde, nisi sua culpa, carere non possunt.

Prob. 4. Ex summis Pontificibus, nempe Pio V. & Gregorio XIII. à quibus damnata est haec Baii propositio: *Definitiva hac sententia, Deum homini nihil impossibile praecipisse, falsò tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.* Et Innocentio X. qui temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & haereticam declaravit hanc Jansenii propositionem: *Aliqua Dei praecepta hominibus iustis, volentibus, conantibus secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Cujus propositionis tenuius est, quod iustis impossibilia sint ea praecepta, quae transgrediuntur, quia deest eis gratia tam remotè quam proximè sufficiens ad praecceptorum illorum observationem.

Obj. Quando Petrus Apostolus Dominum negavit, caruit gratia ad vincendam tentationem, & ad implendum praeceptum de Domino tunc confitendo: hoc enim docent Patres multi. Ergo, &c. R. neg. ant. *Ad prob. R.* Patres illos loqui vel de gratia speciali, qua destitutus Petrus Dominum negavit, licet sufficiens haberet auxilium ad illum confitendum; vel potius de gratia proximè sufficiente, hoc est, de gratia, quacum abique ulteriori auxilio posset in illis circumstantiis Dominum confiteri; licet non careret gratia, quacum orare poterat, & orando impetrare gratiam proximè sufficientem. Nam Patribus familiare est, simpliciter dicere, quod homo careat gratia ad observandum praeceptum necessaria, & ita quoddam praeceptum non possit observare, quando non habet gratiam proximè sufficientem, licet remotè sufficientem habeat.

Paret ex S. Augustino, libro de natura & gratia cap. 69. *Eo ipso, inquit, quo firmissimè creditur, Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse praecipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Et libro de gratia & libero arbitrio, c. 16. *Ideo, inquit, jubet aliqua quae non possumus, ut noverimus quid ab eo petere debeamus.* Et ser. 124. de tempore, ubi haec habet: *Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum.... Ideo B. Petrum paululum Dominus subdeservit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia prevalere.* Hic autem S. Doctor dicendo Deum paululum subdeservisse Petrum, aperte significat Petrum non fuisse orbatum omni gratia ad vincendam tentationem idonea, sed solum caruisse gratia, quae ad id proximè sufficeret; ita ut remotè sufficientem tunc habuerit,

G 2

nempe

nempe gratiam orandi, qua auxilium ulterius impetrare potuit; non tamen impetravit, quia hac orandi gratia uti neglexit.

RESPONSIO II.

Fidelibus justificatis datur gratia verè sufficiens ad permanendum in statu iustitiæ, etiam iis qui non permanent; unde in illis, eorum culpa est merè sufficiens. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam dicitur 1. Cor. c. 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. At si fideles iusti non tentantur supra id quod possunt, sanè nihil est, quod eos impedire possit, quominus, si velint, in statu iustitiæ permanent. Et 1. Timoth. cap. 4. Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium. Deus igitur sincerè vult salutem omnium fidelium, & à fortiori fidelium iustificatorum, adeoque idonea illis auxilia subministrat, quibus, si velint, permanendo in statu iustitiæ salutem adipiscantur. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex Concil. Trident. Session. 6. Nam dicit, cap. 11. Deus sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur. Et cap. 13. In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes (iustificati) debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut capit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere. Quid est autem iustificatos non deserit à Deo, nisi prius eum deserant, nisi eos, donec mortaliter peccent, à Deo etiam specialiter adjuvari? Et ad quid specialiter adjuvari, nisi ad standum & permanendum in statu iustitiæ? Hanc porro esse Synodi mentem, ex contextu manifestum est. Item si Deus in justificatis omnibus, sicut cepit opus bonum, ita perfecturus est operans velle & perficere, nisi ipsi defuerint illius gratiæ, cerè si in statu iustitiæ non permanent, sua culpa non permanent, & quia desunt gratiæ divinæ, eam scilicet repudiando, & ei consentire ac cooperari nolendo.

Prob. 3. Ex S. Augustino, lib. de natura & gratia, cap. 26. Ipse autem Deus, inquit, cum per Mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum, spiritaliter sanat egrum, vel vivificat mortuum, id est, iustificat impium, & cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam iustitiamque (quæ in habitibus infusis consistit) perduxerit, non deserit, si non deseratur (per mortale peccatum) ut pie semper iustèque vivatur (hoc est, hominem iustificatum, nisi ab eo deseratur, adjuvat ad pie semper iustèque vivendum); adjuvat, inquam, per interiori suam gratiam, sine qua pie iustèque vivit nemo, aut vivere potest. Nam, ut prosequitur S. Doctor, sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic homo etiam perfectissime iustificatus (adeoque per gratiæ sanctificantis infusionem perfectissime sanatus) nisi æternæ lucis iustitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere. Sanat ergo Deus (per infusionem inhaerentis iustitiæ) non solum ut (per eam) deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam (per actualis gratiæ suæ auxilium) ne peccemus (& sic pie semper iustèque vivamus.)

Nota. Pelagius cum suis asserbat, misericordia Dei nos indigere ad delenda præterita peccata, non ad ea in posterum vitanda, sed sanos per justificationis beneficium effectos, cum solis arbitrii viribus omnia vitare peccata, adeoque pie semper iustèque vivere posse: Viderisne, inquit, ibidem S. Doctor, recitatis Pelagii verbis, quemadmodum non dicat necessariam misericordiam Dei ut non peccemus, sed quin peccavimus? Unde consequenter agebat Pelagius, Deum per justificantem gratiam sanare peccatorem, condonando ei peccata præterita, sed sanatum sibi & arbitrii sui viribus permittere, utpotè ulteriori divinæ gratiæ adiutorio non indigentem ad tuendam sanitatem, pie semper iustèque vivendo.

Contra hanc doctrinam insurgens S. Augustinus, contendebat. 1. Hominem peccatis vulneratum, di-

vina misericordia indigere non solum ad recuperandam sanitatem per gratuitam infusionem inhaerentis iustitiæ, qua Deus peccata delet, sed etiam ad recuperatam sanitatem tuendam, rectè vivendo; quia homo peccator, quantumvis per acceptam inhaerentem iustitiam sanus effectus, rectè vivere non potest, nisi divinitus adjuvetur per actualia interioris gratiæ auxilia.

2. Et ita peccatorem à Deo justificari, non solum ut sanetur, & à peccatis admissis purgetur, sed etiam ut sanatus, & à peccatis purgatus, in posterum possit rectè vivere; ad quod præter justificantem gratiam, indiget adiutorio actualis gratiæ, excitantis & adjuvantis: Sicut ergo vulnere, inquit, ibidem S. Doctor, claudicans ideo curatur, ut sanato malo præterito, futurus dirigatur ingressus: sic mala nostra non ad hoc solum supernus Medicus sanat, ut illa jam non sint, sed ut de cætero rectè ambulare possimus, quod quidem etiam sani non nisi illo adjuvante poterimus.

3. Deum, cum per justificationis gratiam sanat hominem peccatorem, ut sanus effectus, rectè possit ambulare, nec homo, quamvis sanus, rectè non nisi eo per interiori suam gratiam adjuvante ambulare possit, quos per justificationis gratiam sanavit, non deserere, nisi ab eis deseratur, sed eos interiori sua gratia adjuvare, ut rectè ambulare possint, & pie semper iustèque vivendo, rectè ambulent, si velint. Sic supernus Medicus ægrotum, quem sanavit, sanatum non derelinquit, sed quandiu ab eo non respuitur, sanum ad sanitatem tuendam adjuvat: cum è contra Medicus homo ab ægro, postquam eum sanitati restituit, discedat, & Deo dimittat sustentandum elementis & alimentis: Medicus homo, inquit S. Doctor, cum sanaverit hominem, jam de cætero sustentandum elementis & alimentis corporalibus, ut eadem sanitas apto subsidio convalescat, atque subsistat, Deo dimittit... ipse autem Deus cum per Mediatorem... non deserit, si non deseratur, ut pie semper iustèque vivatur.

Ex his autem clarum est, juxta sanctum Augustinum, justificatis omnibus ad permanendum in statu iustitiæ, in qua spiritalis animæ sanitas consistit, à Deo dari sufficiens interioris gratiæ adiutorium. Sed audiamus adhuc S. Doctorem enarr. in Plal. 39. sic alloquentem hominem iustificatum: *Facta in Dominum curam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Quid tibi curaturus est? quid tibi provisurus? Habeat tui curam qui fecit te: qui habuit tui curam antequam esses, quomodo non habebit curam, cum jam hoc es quod voluit ut esses? Jam enim fidelis es, jam ambulas in via iustitiæ: curam tui non habebit, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos: te jam iustum ex fide viventem negliget, deseret, dimittet? Imo verò & hic fovet, & hic adjuvat, & hic necessaria subministrat, & noxia refect. Dando consolatur ut permaneas, auferendo corripit ne pereas. Dominus curam habet tui; securus esto, ille proteget qui te fecit. Ab artificis tui manu noli cadere; si cecideris jam à manu artificis, frangeris. Ut autem permaneas in manu artificis, bona voluntas facit... nusquam tibi deest: tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse.*

Prob. 4. Ratione. Quia ut iustificati possint permanere in statu iustitiæ, requiritur, & sufficit, ut possint adimplere omnia mandata divina. Atqui possunt adimplere omnia mandata divina, ut constat ex resp. 1. Ergo, &c.

Obj. S. Augustinus, libro de bono persév. cap. 9. querenti cur ex duobus iustis uni perseverantia datur, & alteri non detur, non aliter responderet, quam recurrendo ad inscrutabilia judicia Dei. Sed si iustis omnibus datur gratia sufficiens ad permanendum in statu iustitiæ, frustra ad illa inscrutabilia Dei judicia recurritur. Querenti enim cur unus perseveret, alter non perseveret, responderi poterit, quia unus non deest gratiæ Dei, alter verò deest. Ergo, &c.

Resp. Ita

Resp. Ita quidem responderi posse; cum ex iustis illi non perseverent, qui defuncti, & illi omnes perseverent, qui non defuncti gratia Dei: at nihilominus, cum omnes iusti ita possint permanere in statu iustitiae, ut illi tantum re ipsa permaneant, quibus gratis à Deo perseverantia ipsa datur, gratis procurando illis bonam mortem, vel, si vis, gratis illos usque in finem vocando, quomodo eis congruit, ad inscrutabilia Dei iudicia necesse est recurrere, si quaeritur quare uni iusto bona mors à Deo procuratur, & alteri non procuratur; quare unus iustus rapiatur ante lapsum, & alter non rapiatur; quare unus iustus usque in finem vocetur congruè, & alter non vocetur; breviter, quare uni iusto datur, & alteri non datur perseverantia. Tunc enim aliud respondere non possumus, quam quod dicit Apostolus, Rom. cap. 11. *O altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viae ejus!* quando quidem ex parte duorum iustorum, quorum uni perseverantia datur, & alteri non datur, nulla ratio assignari potest, cur uni potius datur, quam alteri; quia cui datur, ex pura misericordia datur. Potuit Deus utrique dare perseverantiam, potuit neutri absque iniuria; uni dat, & non alteri: *Quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*

ARTICULUS V.

Utrum fidelibus peccatoribus datur gratia sufficiens ad conversionem.

RESPONSIO I.

Fidelibus peccatoribus non obduratis datur gratia sufficiens ad conversionem.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam Ezechielis, cap. 33. legitur: *Pro ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat. Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini? Et 2. Petri cap. 3. Patienter (Deus) agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* Hac autem loca intelligi saltem debent de peccatoribus nondum obduratis, quibus proinde gratia ad poenitentiam agendam idonea deesse non potest; cum Deus nolit eos perire, sed è contra sincerè velit eos converti, & idcirco patienter agat cum illis, illosque iterum atque iterum adhortetur ad poenitentiam. Quod certè non faceret, si privaret eos omni auxilio ad id sufficiente, & sic poenitentia eis esset impossibilis.

Prob. 2. Ex S. Augustino enarr. in Psalm. 102. ubi haec Davidis verba: *Miseratur & misericors Dominus, longanimis & multa misericordiae*, interpretans sic ait: *Quid tam longanimus? quid tam multum in misericordia? Peccatur & vivitur; accedunt peccata, augetur vita: blasphematur quotidie, & facit solem summ oriri super bonos & malos. Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad poenitentiam; vocat beneficiis creatura, vocat impertiendo tempus vivendi; vocat per lectorem, vocat per tractatorem; vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis; vocat per misericordiam consolationis: longanimis & multa misericordiae. Sed observa ne longitudo misericordiae Dei malè utendo, tu tibi thesaurizas iram in die ira Cum tibi thesaurizaveris iram in die ira, nonne experieris iustum, quem contempsisti benignum? Juxta sanct. Doctorem igitur, peccatores non raro, sed saepe per gratias tum exteriores multiplices, tum interiores, sine quibus exteriores inutiles forent, ad poenitentiam invitat longanimis & misericors Deus.*

RESPONSIO II.

Peccatoribus, etiam excacatis & obduratis, datur gratia sufficiens ad conversionem.

Simonnet Theol. Tom. II.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam dicitur, Sapient. cap. 12. *Si inimicos servorum tuorum & debitos morti cum tanta cruciasti attentione, dans tempus & locum, per quae possent mutari à malitia, cum quanta diligentia iudicasti servos tuos? Quibus verbis Sapiens expressè testatur, Deum Chanaanis & Jebusaeis locum & tempus ad poenitentiam agendam, adeoque & gratiam interiorem, sine qua impossibilis illis erat poenitentia, misericorditer dedisse: erant tamen sceleratissimi homines, & maxime obdurati, ut testatur idem Sapiens.*

Act. cap. 7. Stephanus Judaeos obduratos & voluntariè excacatos objurgat in hunc modum: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Ergo quamvis obdurati & excacati, per interiorem gratiam à Spiritu Sancto ad poenitentiam vocabantur; alioqui falsò dicerentur, Spiritui S. semper resistere; & ita vocabantur, ut sua culpa poenitentiam non agerent; alioqui Stephanus perperam illos objurgasset.

Rom. cap. 2. sic loquitur Apostolus: *An divitias bonitatis ejus (Dei) & patientiae & longanimitatis contemnitis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impenitens cor, thesaurizas tibi iram in die ira, & revelationis iusti iudicii.* Quibus verbis apertè significat Apostolus, Deum obduratos vocare ad poenitentiam; eosque bonitatem, patientiam, & longanimitatem divinam contemnendo, dum duro atque impenitente corde internae vocationi pertinaciter resistunt, gravissimarum poenarum reatum incurrere, à iusto iudice infligendarum.

Prob. 2. Ex S. Augustino enarr. in Psalm. 6. ubi ad haec Apostoli verba Rom. cap. 1. *Dedit illos Deus in reprobum sensum*, sic disserit: *Ea est cecitas mentis; in eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur. Sed nondum penitus, cum in hac vita est. Sunt enim tenebrae exteriores, quae magis ad diem iudicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit, quisquis dum tempus est, corrigi noluerit. Penitus enim esse extra Deum quid est, nisi esse in summa cecitate? Ergo ex S. Doctore, nemo ita excacatur, ut interiore Dei luce, adeoque interiore Dei gratia omninò privetur, & hoc pacto sit omninò extra Deum per totalem desertionem, quia nimirum totalis desertio, ac proinde cecitas & obduratio consummata, poena est ad alteram vitam pertinens, qua iuste puniuntur ii omnes, qui in hac vita corrigi noluerint: cum nulli in hac vita ita excacati fuerint, ut penitus seclusi fuerint ab interiore Dei luce, & sic caruerint omni gratia ad correctionem sufficiente.*

Duplex igitur est, juxta sanctum Doctorem mentis cecitas, seu seclusio ab interiore Dei luce; una inchoata & partialis, altera totalis & consummata, quae nomine tenebrarum exteriorum in Scriptura venit: haec alterius vitae est, in qua reprobi erunt penitus extra Deum; illa verò hujus vitae, in qua qui in poenam peccatorum excacantur, non sunt extra Deum penitus; unde quandiu hanc mortalem vitam vivunt, corrigi possunt, quia identidem à Deo illustrantur, & internis inspirationibus excitantur, ut corrigi possint, & corrigantur, si velint. Quare si noluerint corrigi, iuste mittentur in tenebras exteriores, & aeterna, ac summa plecentur mentis cecitate.

Obj. 1. Obdurati, quandiu sunt in statu obdurationis, carent omni gratia ad conversionem, sive proximè sive etiam remotè sufficiente. Ergo qui tota vita manent in statu obdurationis, tota vita privantur omni gratia sufficiente, quacum possint converti. *Prob. ant.* Nam 1. hoc Scripturae passim innunt. 2. Hoc expressè docet sanctus Augustinus pluribus locis. 3. Obdurati non possunt recipere gratiam verè sufficientem ad conversionem, quin re ipsa convertantur; at quandiu sunt in statu obdurationis, non convertuntur.

Resp. neg. ant. Ad 1. prob. R. Ex Scriptura nihil aliud haberi, quam quod gratia ad conversionem

G 3

suffi-

sufficiens peccatoribus non adit omnibus momentis, & quod aliqui omnino deferantur ad tempus. *Ad 2. prob. R.* S. Augustinum non aliud docere, quam obduratos, quandiu manent in statu obdurationis, carere gratia congrua, ut plurimum non accipere nisi gratiam remotè sufficientem, nempe gratiam orationis, & ex illis aliquos ad tempus omnino deferi. Quod autem nullus in hac vita absolute & totaliter deferatur, diserte affirmat S. Doctor loco supra laudato. *Ad 3. prob. R.* In ea supponi omnem gratiam verè sufficientem, esse etiam congruam & efficacem, quod est hæreticum.

Obj. 2. S. Augustinus, lib. 1. ad Simpl. qu. 2. dicit obdurationem esse Deum nolle misereri, & Deum non frustra misereri, quia si miseretur, peccator convertitur. *Resp. S. Doctorem* nihil aliud velle, quam obduratos tandiu manere in statu obdurationis, quandiu Deus non eorum miseretur misericordia illa speciali, qua vocat hominem quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat: quandiu enim non sic miseretur obduratorum, tandiu non convertuntur, & sic tandiu manent in statu obdurationis: è contra verò ubi primum sic eorum miseretur Deus, statim convertuntur, & desinunt esse in obdurationis statu. Quamvis autem Deus circa obduratos, quandiu eos in obduratione relinquit, non exerceat specialem misericordiam, illos scilicet vocando quomodo eis congruit, ut convertantur, hoc non obstat, quominus erga illos misericordiam communem exerceat, eos vocando quantum sufficit, ut possint converti, & convertantur, si velint.

Porro facile concedimus Deum peccatores aliquos miraculose interficere in flagranti delicto, vel permittere ut interficiantur ab aliis causis sive naturalibus, sive liberis. Item Deum permittere ut peccatores aliqui statim post admissum scelus aliquod, in perpetuam amentiam incidunt. Item aliquos peccatores, admissio criminis, brevi postea tempore hac vita excedentes, nullam prorsus ante mortem accipere gratiam, quacum possint à peccato resurgere. Item inter peccatores alios esse, quibus frequentior & copiosior, alios verò quibus rarior & parciore gratia ad conversionem sufficiens datur, prout scilicet Deus iudicat munera sua esse distribuenda. Ex hac occasione fit

R E S P O N S I O III.

Gratia ad conversionem sufficiens peccatoribus, non adest omnibus momentis, sed solum certis temporibus, prout Deus vult; unde quædam sunt tempora, quibus peccatores, præsertim obdurati, carent omni gratia sufficiente ad resurgendum à peccato.

Prob. 1. Ex Scriptura. Ecclesiasticus cap. 7. dicitur: *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Quibus verbis satis aperte innuitur, aliquos peccatores interdum ita à Deo deferri, ut converti nequeant. Et Joan. c. 12. *Propter eam non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum (per subtractionem scilicet omnis gratiæ illuminantis intellectum, & cor tangentis.)* 2. Ad Timoth. cap. 2. docet Apostolus, peccatores esse patienter & mansuete corripiendos, ne quando Deus det illis penitentiam, ad cognoscendum veritatem, & respiciant à diaboli laqueis, (hoc est, quia quantumvis excæcati videantur & obdurati, adeoque à Deo derelicti, non tamen penitus derelicti sunt, & Deus solet illis identidem dare gratiam, quacum amplecti veritatem & respicere possunt.) Cum autem ait Apostolus: *Ne quando,* clarè significat gratiam ad penitentiam non semper adeste peccatoribus, sed quando & ubi vult Deus. Hinc Psalter Regius Psal. 94. dicit: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Dicit, *hodie*, quia non semper, nec quotidie interna vox Spiritus S. seu interior gratia pullat aures cordis nostri, sed certis tantum temporibus, quod in primis de peccatoribus verum est.

Prob. 2. Ex S. Augustino enarr. in Psal. 147. ubi sic ait: *Ecce deserit (Deus) peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam.* Et tract. 53. in Joannem, ubi hæc habet: *Abfit ut sit iniquitas apud Deum: sive quando adjuvat (dando interiorem gratiam) misericorditer facit: sive quando non adjuvat (interiorem gratiam subtrahendo,) iuste facit.*

S. Augustino juvat adjungere Gregorium Magnum, lib. 11. Moral. cap. 5. ubi omnino ad propositum nostrum hæc scribit: *Omnipotens Deus humanum cor destruit, cum relinquit: edificat, dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo: quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. Unde plerumque fit, ut cum audientis cor, exigentibus culpis, omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exterius à predicatorum moneatur, quia murum est os omne quod loquitur, si ille interius in corde non claret, qui aspirat verba, que audiuntur. Hinc est quod Cain & divina voce admoneri potuit, & mutari non potuit: quia exigente culpa malitia, jam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat.*

Prob. 3. Ratione; quia gratia ad conversionem necessaria, consistit in actibus vitalibus, quibus mens illustratur, & voluntas excitatur. Atqui, ut docet experientia, actus hujusmodi peccatoribus non adfunt omnibus momentis, sed solum interdum, & certis temporibus, prout placet Deo, qui pro suo beneplacito quando & ubi vult potentias hominis ad hos actus elevat & determinat: imò graves peccatores multi, ut ipsimet ingenuè confitentur, per tempus satis longum sæpenumero actus hujusmodi in se nullos experiuntur. Ergo, &c.

Obj. Scriptura & Concilia satis aperte docent quibusvis peccatoribus singulis momentis adeste gratiam sufficientem ad conversionem. Ergo, &c. Prob. ant. Nam 1. hæc Ecclesiastici verba: *Non tardes converti ad Dominum*, ad omnes peccatores dirigitur. 2. Apocal. cap. 3. dicit Deus: *Ego sto ad ostium, & pulso.* 3. Conc. Later. cap. *Firmiter*, docet, semper posse hominem lapsum per veram penitentiam reparari. 4. Conc. Senonense 1. parte decreti 15. docet, nec momentum quidem præterire, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset.

R. neg. ant. obj. Ad 1. prob. Resp. Scripturam hoc loco solum admonere peccatores, ut ubi primum à Deo vocantur & excitantur ad penitentiam, nulla mora interposita, vocanti & excitanti Deo obsequantur, & ejus gratiæ cooperando ad eum se convertant, juxta illud Psal. 94. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Ad 2. prob. R. Deus quidem dicit se stare ad ostium cordis nostri, at non dicit se stare omnibus momentis.

Ad 3. prob. Resp. Conc. Lateranense hic non aliud docet, quam quod post baptismum sit aliud sacramentum, nempe sacramentum penitentiae, quo semper Deo reconciliari potest quisque post baptismum graviter lapsus, ad illud accedit, illudque ritè suscipit. Quod nemo facere potest sine auxilio interioris gratiæ prævenientis & excitantis, quam gratiam omnibus momentis adeste peccatoribus, certè non dicit Concilium.

Ad 4. prob. R. Conc. Senonense, cum aliqua moderatione intelligi debet, neque aliud velle dicendum est, quam quod gratia adit omnibus momentis, quibus urget tentatio, quæ superari, aut obligatio alicujus præcepti, quod adimpleri non potest sine gratiæ interioris adjutorio.

Dices. S. Thomas 3. p. q. 86. art. 1. in O. dicit erroneam esse opinionem illorum, qui sentiunt aliquem in hac vita non posse penitentiam agere, & mores suos emendare. Resp. S. Doctorem dicit tantum, nullum esse peccatum in hac vita, quod non possit tolli per penitentiam, propter duplicem rationem. 1. Scilicet, quia quandiu homo viator est, arbitrium ejus flecti potest ad bonum vel ad malum. 2. Quia nullus est peccator, quem Deus gratia sua movere non possit quomo-

quomodo ei aptum est, ut de peccato commisso velit poenitentiam agere.

Audiamus S. Doctorem: Non possunt, inquit, per poenitentiam deleri peccata demonum, & etiam hominum damnatorum: quia affectus eorum sunt confirmati in malo: ita quod non potest eis displicere peccatum, in quantum est culpa, sed solum displicet eis poena, quam patiuntur Tale autem non potest esse aliquod peccatum hominis viatoris, cujus liberum arbitrium flexibile est ad bonum & ad malum. Unde dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis poenitere non possit, erroneum est. Primo quidem; quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. Secundo, quia per hoc derogaretur virtuti gratiae, per quam moveri potest cor cuiuscumque peccatoris ad poenitentiam. Sic autem loquendo, S. Doctor dicit quidem, in hac vita nunquam tantam esse cordis obdurnationem, ut peccator converti non possit cum auxilio divinae gratiae. At hanc gratiam omnibus momentis adesse peccatoribus, ut converti possint, & converterantur, si velint, nullatenus dicit, vel insinuat.

ARTICULUS VI.

Utrum infidelibus omnibus, etiam iis qui infidelitate negativa laborant, deus gratia sufficiens ad salutem.

RESPONSIO.

Infidelibus omnibus, etiam iis qui laborant infidelitate negativa, datur pro loco & tempore gratia sufficiens ad salutem.

Prob. 1. Ex Scriptura. Dicitur Sap. cap. 11. *Misereris omnium, quia omnia potes, dissimulas peccata hominum propter poenitentiam. Diligis enim omnia, quae sunt, & nihil odisti eorum, quae fecisti. Nec enim odians aliquid constituisti, aut fecisti parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.* At quomodo miseretur Deus omnium, & parcit omnibus, si non dat omnibus gratiam, qua si bene uti vellet, consequerentur justificationis beneficium, atque ulterioribus gratiae auxiliis adjuti, in statu iustitiae perseverarent, si vellet, & perseverando salutem adipiscerentur aeternam? Neque verò illa Sapientis verba ad solos electos restringi possunt: nam ratio, quare Deus sic omnium miseretur, hic petitur ex creatione. Beneficium autem creationis omnibus absolute commune est.

1. ad Timoth. cap. 2. sic loquitur Apostolus: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes ... pro omnibus hominibus ... hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Ex quo textu duo habemus. 1. Deum velle ut omnes absolute homines ad veritatis agnitionem veniant, & salventur. Nam reddens rationem Apostolus, quare Deus velit homines salvari, & ad agnitionem veritatis venire, dicit cum velle, quia est Deus omnium, & pro omnibus mortuus est Christus. At est Deus omnium, & Christus mortuus est pro omnibus absolute, nullo excepto. 2. Hanc Dei voluntatem non esse simplicem & sterilem complacentiam, sed actum prolecutivum, vi cuius media ad finis intenti consecutionem idonea adhibentur: alioqui non diceret Apostolus orandum esse pro omnibus, quia Deus vult omnes salvos fieri; vel certe tam male diceret, quam qui diceret orandum esse pro demonibus, quia Deus salutem illorum vult, simplici scilicet & sterili complacentia.*

Prob. 2. Ex Patribus. S. Ambrosius in Psalm. 118. conc. 8. sic loquitur: *Super omnes sol oriri iubetur. Et hic quidem sol quotidie super omnes oritur. Mysticus autem sol ille iustitiae omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit.* Simonnet Theol. Tom. II.

Ideo autem passus est, ut tolleretur peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit: sed quod solis est, prerogativam suam servat: quod imprudentis est, communis à se gratiam lucis excludit, (videlicet vel gratiam ad credendum in Christum proximè sufficientem, vel saltem aliam remotiorem, quacum proximè sufficientem impetrare posset, repudiando.)

S. Chrysostomus hom. 7. in Joan. in haec verba: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sic disserit: Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quoniam pacto tot homines sine lumine permanent? neque enim omnes Christum cognoscunt. Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profecto, quantum in ipso est. Si qui autem sponte sua, mentis oculis conveniunt, ad huius lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt: sed malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt. Nam gratia in omnes diffusa est: non Judaeum, non Graecum, non Barbarum, non Scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non juvenem effugit, aut dedignatur; omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore advocat. Qui autem ejus munere frui negligunt, hanc suam cecitatem sibi ipsis imputent.*

S. Augustinus exposit. 1. in Psalm. 18. haec habet, *Et non est qui se abscondat à calore ejus: Cum autem verbum etiam caro factum est, & habitavit in nobis, mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis, & ipsam enim penetravit verbi calor.*

S. Prosper, vel alius Author laudatissimus librorum de vocatione gentium, sententiam nostram disertis verbis tueretur, lib. 2. pluribus locis. Sic autem loquitur, cap. 17. *Nunc in extremis mundi partibus sunt aliqua nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quae desuper omnibus semper hominibus est praebita, non negatur.*

Cap. 26. Postquam varios modos exposuit, quibus Deus ad se homines vocat, sic prosequitur: *Quae opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitia: quod autem à multis suscipitur, & gratia est divina, & voluntatis humane.*

Et cap. 31. sic ait: *Elaboratum est, quantum Dominus adjuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro saeculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus affuisse, providentia quidem pari, & bonitate generali, sed multimodo opere diversaeque mensura: quoniam sive occultè, sive manifestè, ipse est, ut Apostolus ait, Salvator omnium hominum, maxime fidelium: Quae sententia subtilissima brevitate, & validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc, de qua egimus, controversiam dirimit. Dicendo enim, Qui est Salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem. Adjiciendo autem, Maxime fidelium, ostendit esse partem generis humani, quae merito fidei divinitus inspiratae, ad summam atque aeternam salutem specialibus beneficiis provehatur.*

Prob. 3. Ratione Theologica. Nam Christus mortem suam obtulit pro salute infidelium omnium, etiam illorum, qui de Evangelio nihil audierunt, & audituri sunt unquam. Hanc propositionem ad veritates in Scriptura revelatas pertinere, suo loco ostendimus. Ergo Deus sincerè vult salutem omnium infidelium, etiam illorum, qui nihil unquam audierunt, & audituri sunt de Evangelio: Deum enim sincerè velle salutem eorum omnium, pro quibus Christus mortem suam obtulit, consentiunt omnes tam heterodoxi, quam orthodoxi. Ergo Deus omnibus infidelibus, etiam iis qui nihil, &c. vult dare & dat media ad salutem idonea: Nam qui sincerè vult finem aliquem, vult

vult adhibere & adhibet, si non efficacia, saltem idonea ad hunc finem media? alioqui simul vult & non vult sincerè finem hunc. Ergo infideles omnes, etiam ii qui laborant infidelitate negativa, pro loco & tempore accipiunt media ad salutem idonea, in quantum si mediis illis rectè uterentur, ulteriùs à Deo adjuvantur, & tandem de rebus fidei instruerentur per homines, Deo hoc illis procurante, vel etiam, si necesse esset, per Angelos.

ARTICULUS VII.

Solvuntur objectiones ex Scriptura & Patribus petita.

Obj. 1. Act. cap. 14. & 17. Deus dicitur in præteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas, & contempsisse tempora illa, quæ idè appellantur tempora ignorantia. *Resp.* Sic loqui Scripturam, quia Deus ad gentes non misit Patriarchas & Prophetas suos, nec legem scriptam dedit illis, adeoque eis non impertivit specialia illa gratiæ beneficia, quæ contulit in Abrahamum & ejus posteritatem. Inde autem minimè requiritur quòd eas privaverit omni gratia sufficiente ad salutem, & contrarium satis significat Paulus Apostolus, cum ait, Act. cap. 14. Deum non sine testimonio apud gentes semetipsum reliquisse; & c. 17. gentes in illis ignorantia temporibus potuisse Deum querere & invenire, hoc est, potuisse ex creaturis, & variis divinæ providentiæ effectibus salutarem Dei notitiam sibi comparare. Quòd autem talem sibi notitiam Dei comparare potuerint absque omni adiutorio interioris gratiæ, Pelagianum est asserere. Non ergo Deus sic eas dimisit ingredi vias suas, ut eas omni interioris gratiæ adiutorio destituerit.

Hanc doctrinam expressè tradidit Author librorum de vocatione gentium, lib. 2. cap. 4. *Sed ne in præteritis quidem sæculis, inquit, hæc eadem gratia, quæ post Domini Jesu Christi resurrectionem ubique diffusa est, & de qua scriptum est: Illuxerunt consolationes tuæ Orbi terræ, defuit mundo. Quamvis enim speciali cura, atque indulgentia Dei, populum Israeliticum constet electum, omnesque aliæ nationes suas vias ingredi, hoc est, secundum propriam permissa sint vivere voluntatem, non ita se tamen æterna creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque metuendum, nullis significationibus admoneret. Cælum quippe ac terra & mare, omnisque creatura quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipuè disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem sui imbueretur auctorit, impleme omnia Spiritu Dei, in quo vivimus, movemur, & sumus.*

Obj. 2. Ex cap. 11. Matth. constat Tyrios & Sydonios convertendos fuisse, si Deus voluisset apud eos fieri miracula, quæ apud Judæos facta sunt, & tamen apud eos nulla miracula fieri voluit. Item ex Act. cap. 16. habemus Paulum Apostolum prohibitum fuisse, ne Evangelium prædicaret in Asia.

Resp. ad 1. Ex Scriptura quidem habetur Tyriis & Sidoniis non esse data ea gratiæ auxilia, quibus cum conversi fuissent: at quòd nequidem data fuerint ea, quibus cum converti potuerint, nec leviter insinuat.

Resp. ad 2. Prohibitum fuisse Paulum à Spiritu sancto, ne certo aliquo tempore Evangelium prædicaret in Asia, non quia Spiritus absolute noluit Asianis Evangelium prædicari; certum enim est Paulum in Asia diu prædicasse, multoque ad Christi fidem convertisse; sed quia volebat Evangelium prius prædicari in Macedonia, quam in Asia prædicaretur. Eo autem tempore, quo Paulus prohibitus est, ne Evangelium prædicaret in Asia, caruerunt quidem Asiani gratia proximè sufficiente ad amplecten-

dam Christi fidem; at habere potuerunt, & pro loco ac tempore habuisse dicendi sunt gratiam remotè sufficientem, hoc est, gratiam, quæ benè utendò, omnia ad credendum in Christum proximè requisita impetrare potuerunt.

Obj. 3. Apostolus Ephes. cap. 2. Gentiles ad fidem conversos sic alloquitur: *Eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conversatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo vero in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu vos qui aliquando eratis longè, facti estis prope in Sanguine Christi, Et c. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Ex his autem sic argumentaberis. Id nunc sunt infideles, de quibus agitur, quod fuerunt Ephesii, antequam ad fidem per Pauli prædicationem converterentur. At qui Ephesii in eo statu, in quo fuerunt antequam Paulus eis prædicaret, nullas haberent gratias ad salutem sufficientes: illi enim nullas ejusmodi gratias habent, qui sunt in tenebris, qui sunt sine Christo, sine Deo, sine ulla promissionum spe. Ergo, &c.

R. neg. min. Ad prob. Ref. Illos qui sunt in tenebris infidelitatis, qui nullam habent Christi Salvatoris notitiam, qui non verum Deum, sed idola colunt, qui ignorant promissiones à Deo factas de resurrectione mortuorum, & æterna vita à beatis in cælo duccenda, non habere quidem gratias proximè sufficientes ad salutem; at habere possunt, & habent pro loco & tempore gratias, quibus adjuvantur, si velint, ad habendam salutarem Dei cognitionem, & ad Deum sic cognitum invocandum. Quod si facerent, procuraretur illis Evangelii prædicatio, aliaque ad credendas veritates à Deo revelatas idonea auxilia subministrarentur. Habent igitur gratias ad salutem remotè sufficientes.

Obj. 4. S. Augustinus sæpè sæpius ad inscrutabilia Dei judicia recurrit ad solvendam quæstionem hanc, quare Deus ex infidelibus unum potius quam alium vocet ad fidem Christi & Evangelii. Sed ad solvendam hanc quæstionem frustra recurritur ad inscrutabilia Dei judicia, si infidelibus omnibus datur gratia sufficiens ad promerendum prædicationem Evangelii, & alia omnia auxilia proximè requisita ad credendum Christo & Evangelio; tunc enim quærenti cur ex infidelibus unus potius, quam alter, ad fidem Christi & Evangelii vocetur, statim responderi poterit, quia unus benè usus est gratia sufficienti, alter verò non; sive, quod idem est, quia unus vocationem ad fidem Christi & Evangelii meritus est, alter verò non. Ergo falsum est, quòd omnibus infidelibus datur gratia sufficiens ad promerendum, &c.

Resp. neg. min. Nam 1. S. Doctor intelligit quæstionem de vocatione proxima ad fidem Christi & Evangelii non qualibet, sed congrua. Quærenti autem cur ex duobus infidelibus unus potius quam alter, ad fidem Christi & Evangelii proximè vocetur quomodo ei congruit ut velit credere & credat, aliud responderi non potest, quam quia Deus vult unum potius quam alium, sic vocare ad fidem Christi & Evangelii; quantumvis infideles omnes supponantur habere gratias remotè sufficientes, quibus si rectè uterentur, acciperent vocationem proximè sufficientem ad fidem Christi & Evangelii; imò verò etiam si supponatur infidelem illum, qui congruè vocatur, benè usum esse gratia remotè sufficiente, & alterum, qui nullo modo proximè vocatur, gratiam remotè sufficientem repudiassè.

Ratio est, quia infidelis, qui gratia remotè sufficiente benè usus est, & congruè vocatur proximè ad fidem Christi & Evangelii, hanc vocationem proximam congruam neque de condigno, neque de congruo per actum cum retributione infallibiliter connexum meritus est; cum nequidem fideles iustificati gratiam congruam mereri possint sive de condigno, sive de congruo, per actum habentem infallibilem retributionem.

Confirm. Licet finalis perseverantia possit à justis suppli-

suppliciter emereri, ut docet iplemet Augustinus, & sæpe illam à iustis, qui perseverant, de facto suppliciter emereri contingat, tamen questionem hanc, cur è duobus iustis uni perseverantia detur, & alteri non detur, non aliter solvit S. Doctor, quam recurrendo ad inscrutabilia Dei iudicia, & respondendo quia Deus vult uni, & non vult alteri dare perseverantiam. Ratio autem sic respondendi, & ad inscrutabilia Dei iudicia recurrendi est, quia perseverantia finalis neque sub meritum de condigno, neque sub meritum de congruo, infallibilem habens retributionem, cadit: unde nulli iusto debetur, aut deberi potest, & ita quoddam uni detur, & non alteri, quod uni potius detur quam alteri, pendet à mero Dei beneplacito, cui planè liberum est, bonam mortem ex duobus iustis vel neutri, vel utrique, vel uni, & non alteri prout ei placuerit, procurare, quidquid ex parte illorum supponatur, hoc est sive æquales, sive inæquales supponatur in sanctitate & operibus meritoriis.

Similiter, quamvis vocatio ad fidem Christi & Evangelii proxima congrua, possit suppliciter emereri ab infidelibus per gratias, quas habent; imò & eam ab illis aliquando, quod certè rarissimum est, emereri contingat; tamen si queritur, cur ex duobus infidelibus unus ad fidem Christi & Evangelii congruè vocatur, & alter non vocatur, tunc ad inscrutabilia iudicia Dei recurrere necesse est, & respondendum, quia Deus unum vult, & alterum non vult sic vocare: cum vocatio proxima congrua ad fidem Christi & Evangelii, neque sub meritum de condigno, neque sub meritum de congruo habens infallibilem retributionem, cadat, adeoque deberi nunquam possit; & si datur, semper detur ex pura misericordia, & absque omni omnino obligatione eam dandi.

2. Addimus quoddam etiam si questio generalius intelligatur de vocatione proxima ad fidem Christi & Evangelii tam incongrua, quam congrua, adeoque etiam de vocatione merè sufficienti, adhuc recurrendum sit, in questione solvenda, ad inscrutabilia iudicia Dei, quantumvis supponatur infidelibus omnibus dari gratiam, qua promereri possint Evangelii prædicationem, & alia auxilia ad credendum proximè requisita. Nam ex duobus infidelibus, quorum uni procuratur prædicatione Evangelii, & alteri non procuratur, vel neuter benè usus est gratia ad promerendam Evangelii prædicationem data, vel unus benè usus est, nempe is cui Evangelium prædicatur, & alter non. Si primum, manifestum est nullam esse causam ex parte infidelium, cur uni potius quam alteri Evangelii prædicatione procuretur, & sic quod uni potius procuretur, quam alteri est purus effectus beneplaciti divini, cuius rationem querenti respondebo, inscrutabilia esse Dei iudicia. Si secundum, querenti quare uni potius quam alteri prædicetur Evangelium, rectè quidem respondetur, quia unus Evangelii prædicationem promeritus est, alter verò non; at non plenè solvitur difficultas, quia qui prædicationem Evangelii promeritus est, indiguit, ad eam promerendam, gratia congrua, & ita superest resolvenda questio ad solutionem totius difficultatis, quare scilicet ipse potius quam alter, ad promerendam Evangelii prædicationem, gratiam congruam acceperit; ad quod aliud responderi non potest, quam quoddam Deus voluerit uni, & non alteri dare gratiam congruam: quare autem huic potius quam illi dare voluerit, inscrutabilia sunt Dei iudicia. Ergo, &c.

Obj. 5. S. Augustinus, lib. de gr. & lib. arb. c. 13. docet gratiam non omnibus dari, & nominatim asserit non esse in fidelibus. Item de præd. Sanct. c. 9. dicit fidem & inchoatam & perfectam, donum Dei esse, & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari. Item pluribus locis docet, quod prius sit habere fidem Christi, quam aliam quamcumque gratiam, qua fervetur lex positiva divina. Denique in Psal. 136. sic loquitur de infidelibus: *Quandam illos videmus, & tam steriles eos invenimus, ut difficile nobis*

appareat in eis aliquid, unde duci possint ad fidem rectam, vel ad bona opera, vel ad spem futuri sæculi ... Scripturas novimus: quas eis dicamus. Sed quia nullum fructum in eis invenimus, avertimus ab eis faciem, & dicimus: *Adhuc isti non sapiunt, non capiunt, quia quidquid illis dixeris, sinistrum & adversum habent.*

R. breviter ad 1. S. Doctor ibi loquitur de gratia congrua, quacum homo obtinere potest, & obtinet beneficium justificationis, ut patet ex contextu. Hanc autem gratiam habere non possunt, nisi ii, qui habent fidem Christi & Evangelii.

R. ad 2. Juxta S. Doctorem, fides & inchoata & perfecta est donum Dei, quia utraque est effectus gratiæ congruæ, quam nemo etiam per actus supernaturales nequidem de congruo mereri potest merito infallibilem habente retributionem; unde quibus datur, gratis omnino & ex pura misericordia datur. Deus igitur donat fidem, gratis dando gratiam congruam ad credendum, sine qua gratia credi non potest potentia ad actum reducenda. Item aliquibus donat fidem, aliquibus non donat, quia aliquibus dat, & aliquibus non dat gratiam ad credendum congruam. Sed quid inde contra assertionem nostram?

R. ad 3. nos idem sentire; sed præterea dicimus, quod S. Doctori non adversatur, in fidelibus dari gratiam, quacum ex rerum creaturarum consideratione pervenire possunt ad salutarem Dei cognitionem, & ex hac cognitione posse, aspirante gratia, exercere quadam pietatis opera, quibus, si ea exercerent, promererentur gratiam proximè sufficientem ad fidem Christi & Evangelii, per quam, ut ait S. Doctor, impetratur gratia ad servandam legem positivam divinam necessaria.

R. ad 4. S. Doctor non dicit, ut non nobis appareat, sed, ut difficile nobis appareat, quod sanè non est affirmantis infidelibus deesse omnem gratiam, quacum ad fidem pervenire possint; & ex eo quoddam in infidelibus nullum fructum inveniat, quod non sapiant, quod non capiant, aliud non sequitur, quam quoddam infideles, de quibus loquitur, gratia congrua careant.

Obj. 6. S. Prosper in resp. 4. ad capitula Gallorum, expressè docet non omnes vocari ad fidem. Eandem doctrinam tradit in resp. ad objectionem octavam. R. ad 1. S. Prosper nihil aliud dicit, quam prædicationem evangelicam nondum pervenisse ad omnes homines, & sic nondum omnes homines accepisse vocationem proximè sufficientem ad fidem Christi & mysteriorum religionis nostræ. R. ad 2. S. Prosper solum dicit Deum non velle æqualiter & indifferenter salutem omnium hominum.

Porro, quod non est prætermittendum, ibidem S. Doctor expressis verbis asserit, Deum curam habere salutis omnium hominum, & infideles sua culpa ad fidem non pervenire; quamquam, quicumque perveniunt, quod verissimum est, non nisi donante Deo perveniant: nemo enim credit, nisi dependenter à Deo, ipsum gratis vocante quomodo ei congruit ut credat. *Omnium ergo hominum, inquit, cura est Deo, & nemo est, quem non aut evangelica prædicatione, aut legis reificatio, aut ipsa etiam natura conveniat. Sed infidelitatem hominum (etiam eorum ad quos evangelica prædicatione nondum pervenit) ipsis adscribamus hominibus. Fidem autem hominum donum Dei esse fateamur, sine cuius gratia (congrua) nemo currit ad gratiam (hoc est fidem, quæ gratia dicitur, quia gratis modo explicato à Deo donatur.) At si Deus curat salutem omnium hominum, & infideles, etiam ii quos nondum convenit evangelica prædicatione, sua culpa in infidelitate sua remanent, certè non deest illis gratia, quacum evangelicam prædicationem promereri possunt, & promererentur, si ea benè uterentur; quamquam si prædicato sibi Evangelio crederent, non nisi donante Deo crederent.*

ARTICULUS VIII.

Solvuntur objectiones à ratione petite.

Obj. 1. Gratia sufficiens, hoc ipso quod est gratia, non potest esse communis omnibus. Ergo non datur omnibus. Sed si qui sunt, quibus non datur, certe sunt infideles illi, qui de Evangelio nihil audiunt. Ergo, &c. *R. neg. ant.* Ad hoc enim ut gratia sufficiens sit verè gratia, satis est si non sit debita, & non detur omnibus, nisi gratis, & ex pura misericordia. Certè si Deus veller, gratiam etiam efficacem omnibus daret, quo facto gratia etiam efficax communis esset omnibus; nec ideo desineret esse gratia, quia Deus eam omnibus gratuito & misericorditer daret.

Dices. Si gratia sufficiens esset communis omnibus, saltem non appareret esse gratia. *R. neg.* Nam sufficienter apparet esse gratia, hoc ipso quod non adest omnibus omni tempore & loco, sed solum quando, & ubi illam dare Deus vult, nec omnibus aequaliter, sed aliis frequentius & copiosius, alijs verò rarius & parcius tribuitur.

Dices. S. Augustinus pluribus locis dicit gratiam efficacem non omnibus dari, ut appareat omnibus esse indebitam, & esse donum planè gratuitum. Ergo similiter dici debet gratiam sufficientem non dari omnibus, ut appareat nulli debitam esse, & quibus datur, gratuito donari.

R. neg. conseq. quæ malè deducitur ex antecedente, in quo S. Augustinus qualemcumque congruitatis rationem affert, cur gratia efficax non omnibus detur. Nam sic gratiam efficacem nulli debitam esse apparet ex eo, quod non detur omnibus, ut idem sufficienter appareat ex quod detur indignis, ut docet ipsemet Augustinus, lib. de bono perf. c. 12. *Dando, inquit, quibusdam quod non merentur, profero gratiam, & per hoc veram suam gratiam esse voluit.* Ergo, juxta S. Doctorem, ut gratia efficax appareat esse gratia, necesse non est ut non detur omnibus. Ergo similiter, ut gratia sufficiens appareat, &c.

Obj. 2. Si infideles, infidelitate negativa laborantes, haberent gratiam aliquam remotè sufficientem ad fidem Christianam, imputaretur illis ad culpam, quod non credant Evangelio, nec servant præcepta legis positivæ divinæ. Absurdum conf. Ergo, *R. neg. seq. maj.* Ratio negandi est, quia cum gratia illa, quam accipiunt, ne levissimè quidem suspicari possunt, quod sit aliquod Evangelium, cui credendum sit; vel quod sint aliqua legis positivæ divinæ præcepta, quæ servari oporteat: unde quod non credant Evangelio, nec præcepta legis positivæ divinæ servant, neque in se, neque in alio propria voluntate volito, illis voluntarium, adeoque illis, nullo modo voluntarium est, voluntarietate scilicet ad imputabilitatem requisita. Quod autem sic nullo modo voluntarium est, peccatum esse non potest.

Obj. 3. Illi non habent gratiam sufficientem ad salutem, quibus non datur posse credere in Christum, illumque invocare: nemo enim salvari potest (de adultis hic semper agitur) sine fide & invocatione Christi. Atqui infidelibus, infidelitate negativa laborantibus, non datur posse credere in Christum, illumque invocare. Nam, ut dicit Apostolus Rom. cap. 10. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo credent sine prædicante? quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Ergo, &c.

R. dist. maj. Illi non habent gratiam sufficientem ad salutem, quibus non datur posse credere in Christum, illumque invocare; nec datur alia gratia, qua si bene uterentur, daretur illis posse credere, &c. *C. maj.* Quibus non datur posse credere, &c. sed datur alia gratia, qua si bene uterentur, daretur illis posse credere, &c. *N. maj.* Tales enim gratiam ad salutem remotè sufficientem habere manifestum est. *Ad min.* autem dico, infidelibus negativa infidelitate laborantibus, dari gratiam per loco & tempore; quam si non repudiarent, Deus procuraret illis Evangelii prædica-

tionem, daretque interiorem gratiam ad credendum in Christum, illumque invocandum necessariam.

Dices. Si ita est, fieri potest ut homo aliquos actus salutes exerceat, ante fidem, seu ante actum, quo rebus à Deo revelatis assentiatur propter auctoritatem Dei revelantis. *R.* hoc fieri posse, non quidem ex solis naturæ viribus, quod Pelagianum est, sed ex viribus interioris gratiæ, gratuito prævenientis, intellectum illustrando, & excitando atque immediatè adjuvando voluntatem.

Dices. Hæc doctrina apertè contradicit Tridentino, assentiendi, sess. 6. cap. 8. *fidem esse humanæ salutis initium, fundamentum, & radicem omnis justificationis.* *R. neg.* Nam Synodus hoc dicit, non quia nulli possunt esse actus salutes ante fidem, de qua loquitur; hoc est, ante fidem, qua, ut ait cap. 6. *adulti liberè moventur in Deum, credentes verè esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud imprimis à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu:* nam hanc fidem aliquos actus salutes exerceri posse, & aliquando exerceri, evidenter demonstrat exemplum Centurionis: sed quia fides illa primum locum tenet inter actus, quibus adultus disponitur ad justificationem, eamque de congruo promeretur.

Dices. Prima gratia, quam accipiunt infideles, est ea qua proximè vocantur ad credendas veritates à Deo revelatas propter auctoritatem Dei revelantis. Ergo qui hanc gratiam non accipiunt, nullam accipiunt. Sed hæc gratia iis tantum datur, quibus Evangelium prædicatur. Ergo infideles, quibus Evangelium non prædicatur, nullam gratiam accipiunt.

R. neg. ant. & dico, primam gratiam, quam accipiunt infideles, si scilicet quibus non prædicatur Evangelium, esse eam, qua intellectus eorum illustratur & excitatur ad cognoscendum per creaturas Deum esse, eumque summè bonum & justum, rerum omnium dominum, ac provisorum sapientissimum atque sanctissimum, adeoque delictorum vindicem, & remuneratorem virtutum: ex qua saluti cognitione Dei, Deo gratiam suam promovente, sufficienter excitantur ad salutarem illius timorem, ad inchoatam illius dilectionem, ad implorandum illius auxilium, & ad alia pietatis opera ex inchoata illius dilectione exequenda.

Hanc doctrinam tradit Bellarminus, lib. 2. de gr. & lib. arb. cap. 8. *Possunt, inquit, gentiles, quibus nondum est Evangelium prædicatum, cognoscere per creaturas Deum esse, & proinde possunt à Deo per gratiam prævenientem excitari ad credendum de Deo, quia est, & quod inquirentibus se remuneratori sit: & ex tali fide excitari possunt, eodem dirigente & adjuvante Deo, ad orandum, & elemosynas faciendas, & eo modo impetrandum à Deo majus fidei lumen, quod Deus per se, vel per Angelos, vel per homines facillè communicabit.* Bellarminum sequuntur ex modernis non pauci, nec exigui nominis Doctores Catholici.

Idem ante illos expressè docuerat ex veteribus Author librorum de vocatione gentium, lib. 2. cap. 4. ubi sic loquitur: *Cælum quippe, ac terra, & mare, omnisque creatura, qua videri atque intelligi potest, ad hanc præcipue disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem sui imbueretur auctoritate.* Quod sanè sine interioris gratiæ prævenientis, illustrando mentem, & excitando voluntatem, adjuutorio fieri posse non sensit author ille, nisi velis ei Pelagianismi notam inurere, quod nemo fecit hactenus.

Et cap. 25. hæc habet: *Sive igitur novissima contempleris secula, seu prima, seu media, rationabiliter & pie creditur, omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse: & hoc non aliunde monstratur, quam de iis beneficiis, eaque providentia Dei, quam universis generationibus communiter atque indifferenter impendit. Fuerunt enim ac sunt hujusmodi dona ita generalia, ut per ipsorum testimonia ad querendum verum Deum possent homines adjuvari: quibus do-*

nis

nis autorem suum per omnia secula protestantibus, specialis gratia largitas superflua est. Ecce dilecti testimonio creaturarum adiungit interioris gratiae praevenientis adiutorium, quod infidelibus datur, ut ex creaturarum testimonio verum Deum agnoscere possint, & sic agnoscendo illum quaerere, illum scilicet rimando, inchoatè diligendo, orando, aliaque pietatis opera exercendo, quorum merito pervenire possint ad perfectam illius notitiam, quae non nisi per Christianam fidem haberi potest.

Imò hæc nostra doctrina videtur demonstrari ex Apostolo Rom. cap. 1. ubi sic loquitur de Ethnicis sapientibus: Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt... propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. Unde sic argumentor. Sapientes Ethnici habuerunt Dei cognitionem, ex qua, eodem adjuvante Deo, aliqua pietatis opera exercere potuerunt: nam glorificare Deum, & ei gratias agere, sunt opera pietatis. Atqui cognitio, ex qua proximè possunt aliqua pietatis opera exerceri, est cognitio salutaris; & nulla cognitio salutaris sine adiutorio interioris gratiae praevenientis haberi potest, juxta illud Apostoli 2. Cor. cap. 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Ergo sapientes Ethnici habuerunt interiorem gratiam praevenientem, qua intellectus eorum illustrabatur & excitabatur ad cognoscendum per creaturas (nam de tali cognitione loquitur Apostolus, ut patet ex antecedentibus) Deum esse, eumque rerum omnium creatorem, conservatorem, provisorem, & munificentissimum benefactorem. Quia autem salutarem hanc Dei cognitionem vel repudiaverunt, vel captivam detinuerunt, nec aliqua illa pietatis circa Deum opera, ad quae ex ea cognitione excitabantur, exercebant, tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.

Dices denique. Si Infideles ante prædicationem Evangelii possint habere salutarem Dei cognitionem, & ex hac cognitione, Deo ulterius adjuvante, aliqua pietatis opera exercere, possunt justificari antequam habeant fidem christianam. Absurdum conf. Nam si infideles justificari possunt, antequam fidem christianam habeant, fides christiana non est humane salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis. Ergo, &c. R. neg. seq. maj. Nam fides christiana est conditio sine qua Deus decrevit neminem adjuvare, quantum oportet, ut justificationis beneficium consequi possit. Unde infideles, antequam ad fidem christianam convertantur, non habent gratiam sufficientem ad diligendum Deum super omnia, adeoque nec ad dolendum de peccatis propter Deum super omnia dilectum; sed solum ex salutari cognitione Dei per creaturas, quam habent, vel possunt habere, excitantur, vel excitari possunt, Deo non plus adjuvante, ad inchoatam Dei dilectionem, quæ ad peccatoris justificationem sufficere non potest. Hinc illud Apostoli Hebr. cap. 11. Sine fide (qua scilicet res à Deo revelata creduntur super omnia propter auctoritatem Dei revelantis) impossibile est placere Deo (eo nempe modo quo amicus placet amico). Credere enim (fide christiana) oportet accedentem ad Deum (ut cum eo conjungatur per justificantem gratiam) quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.

ARTICULUS IX.

Utrum peccatoribus omnibus adsit auxilium sufficiens ad vitanda peccata, adeoque ad servanda præcepta divina, qua transgrediendo, peccant imputabiliter.

RESPONSIO.

Peccatoribus omnibus adest auxilium vel proximè vel saltem remotè sufficiens ad vitanda peccata, & ad servanda præcepta divina, quæ imputabiliter transgrediuntur.

Prob. ex consensu Patrum apud Bellarminum & alios. Unus hic nobis sufficiet Augustinus. 1. lib. 50. hom. 12. sic loquitur: Cum per Dei adiutorium in potestate tua sit, utrum consensias diabolo; quare non magis Deo, quam ipsi obtemperare deliberas?..... Quare satanas seducit ad peccandum, cum Deus posuerit homini in potestate non consentire diabolo? Est enim à dextris quodammodo præcipiens Deus, à sinistris seducens Satanas, homo in medio constitutus. Cur quod inclinatur ad diabolum, quare non potius erigitur ad Deum? non enim diabolus cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet à nobis consensum, sed petit. Nos diabolum non adjuvamus, & vincimus. Dat quidem ille consilium; sed Deo auxiliante nostrum est vel eligere, vel respicere quod suggerit. Vide locum integrum.

2. Hominibus de ignorantiae cæcitate, & difficultatis cruciatibus, quæ ex Adam peccato in genus humanum derivata sunt, conquerentibus, & quamdam peccandi necessitatem, ortam ex renitente carnali concupiscentia prætextantibus, tunc ante, tum post exortam Pelagianam hæresim, ante quidem lib. 3. de lib. arb. cap. 19. postea verò, lib. de nat. & gr. c. 67. obstruit os his verbis: Quibus breviter respondetur ut quiescant, & adversus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret: cum verò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam quod invidus ignoras, sed quod negligis querere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. Ista tua propria peccata sunt. Nulli enim homini ablatum est, scire utiliter quaerere, quod inutiliter ignorat, & humiliter constendam esse imbecillitatem, ut querenti & consentienti ille subveniat, qui nec errat dum subvenit, nec laborat.

3. Eod. lib. 3. de lib. arb. cap. 18. sic ait: Quacumque ista causa est voluntatis (malæ) si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur... quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Et lib. de duab. animab. c. 12. Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summe iniquitatis est, & insania. Quamobrem ille animæ quicquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt; id est, si libero ad faciendum & ad non faciendum motu animi carent: si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccato earum teneri non possumus. Et lib. 22. contra Faustum, cap. 78. Sive iniquitas, sive iustitia, nisi esset in voluntate, non esset in potestate. Porro si in potestate non esset, nullum premium, nulla poena iusta esset: quod nemo sapit, nisi qui despicit.

Ex his autem sic argumentor breviter. Ex S. Doctore, malum, quod caveri non potest, cum sit, non potest imputari. Ergo peccatores, cum peccant, vel habent sufficiens auxilium ad cavendum peccatum, vel non peccant imputabiliter, & sic non possunt nisi injustè puniri propter peccata. Secundum dici non potest. Ergo peccatores nunquam peccant sine sufficienti auxilio ad non peccandum.

4. Lib. de fide contra Manich. cap. 10. hæc habet. Quis non clamat stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur facere: & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas iussa complere? Et lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 6. Dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcipisse, nec Deo ad optulandum quò fiat quod jubet, impossibile aliquid esse. Et enarr. in Psal. 56. Neque imperaret hoc Deus ut faceremus, si impossibile esse iudicaret, ut hoc ab homine fieret. Si consideras infirmitatem tuam deficiis sub præcepto, confortare in exemplo: sed etiamsi exemplum ad te multum est, adest ille qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.

Ex his breviter argumentor sic. Ex Sancto Doctore, Deus nec præcipit, nec præcipere potest aliquid impossibile.

possibile: stultum enim quid & iniquum facere non potest. Ergo possunt omnes homines servare praecepta divina. Ergo habent omnes homines auxilium sufficiens ad ea servanda, adeoque ad vitanda peccata.

Dixi autem in Responsione, vel proximè, vel saltem remotè: quia sapè accidit, ut qui urgentur praecepto vel tentatione, non habeant auxilium, quocum proximè possint praeceptum implere, vel superare tentationem; sed habent tunc auxilium, quocum impetrare possunt majores vires, & ad implendum praeceptum, vel tentationem superandam immediatè sufficientes. Hinc illud S. Doctoris, lib. de gr. & lib. arb. c. 16. *Ideo jubet aliqua (Deus) quae non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.* Et illud, lib. de nat. & gr. cap. 43. *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.* Quae verba adoptat Synodus Tridentina, sess. 6. cap. 11.

Unde hic superest observandum cum Bellarmino lib. 2. de gr. & liber. arb. cap. 7. auxilium ad vitanda nova peccata sufficiens, quod à Deo omnibus hominibus praestari dicimus, non adequatè consistere in interiore gratia excitante, quam non semper adesse certum est: nam haec interior gratia non semper necessaria est homini ad vitandum peccatum, sed satis esse potest, si vel tentatoris vires minuantur, vel tentationis occasio removeatur, vel aliquis terror injiciatur, vel aliquid aequè aut magis alliciens objiciatur, &c. Deus igitur auxilium ad vitanda peccata sufficiens praestari hominibus, modo per interiorem gratiam excitantem, quoties scilicet sine illa novum peccatum vitari non potest, & tunc dat illam vel immediatè vel saltem mediatè sufficientem; modò tentatorem cohibendo, ejusque vires minuendo; modò amovendo periculum peccandi, & occasionem tentationis; modò terrorem aliquem immitendo; modò offerendo aliquid aequè aut etiam magis alliciens, &c.

Hoc luculenter docet S. Augustinus, lib. 50. hom. 23. ubi sic loquitur: *Adulter non fuisse in illa tua vita praeterita, plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum malumque discernens, nondum credens in illum, qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres, suavor defuit, & ut suavor deesset ego feci; locus & tempus defuit, & ut haec deesset ego feci. Affuit suavor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentiret, ego tenui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admisti.*

Obj. 1. S. Augustinum, lib. de corr. & gr. c. 11. ubi sic loquitur: *Si autem hoc adjutorium (quod Angelus & primus homo acceperunt ad vitandum peccatum, & servanda praecepta) vel Angelo vel domini, quam primum facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, ut sine adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non posset. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est: Quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum: & tanto amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verum etiam tantum aciale sit, ut velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus.* Ergo ex S. Doctore, gratia sufficiens, quae Adamo innocenti ad vitanda peccata, & servanda mandata divina data fuit, in praesenti statu non datur omnibus, sed quibusdam datur ex pura misericordia, aliis verò denegatur in poenam peccati originalis, & ex justitia. Ergo falsum est, quòd peccatoribus omnibus adsit auxilium sufficiens ad vitanda peccata, &c.

R. Hunc locum non esse ad rem, & explico mentem S. Doctoris. 1. itaque S. Doctor, per adjutorium Adamo innocenti datum, intelligit collectio-

nem gratiarum actualium, quas accepit Adamus innocens, & quarum aliae fuerunt congruae, aliae verò incongruae: unde cum illis Adamus non perseveraverit in statu innocentiae.

2. Dicit collectionem hanc non quidem simul, sed successive Adamo innocenti sic datam fuisse ad permanendum in statu justitiae, in quo conditus fuerat, ut ex hypothese quòd in hoc statu conderetur, non posset ei non dari, aut certè non posset ei imputari quòd in eo non permaneret; cum nec vires naturales ei sufficerent ad permanendum in eo, nec aliqua sua culpa adjutorio ad id necessario carere posset.

3. Cum adjutorio illo, quod Adamo innocenti ad perseverandum in statu innocentiae datum fuit, nec dari non potuit sapienter; comparat non quaecumque adjutorium, quod nunc datur ad vitanda peccata & servanda mandata divina, sed illud solum, quod electorum proprium est, & quocum electi non tantum possunt permanere, sed etiam infallibiliter permanent in statu justitiae, adeoque non tantum possunt vitare peccata, & servare mandata divina, sed etiam peccata vitant & mandata divina servant infallibiliter usque in finem. Hoc autem adjutorium est collectio gratiarum actualium congruarum, quas electi, qui non statim post acceptum justificationis beneficium rapiuntur, successive accipiunt, & quibus cum in statu justitiae perdurant usque ad mortem.

4. Dicit hoc adjutorium non dari omnibus, sed aliquibus, nempe electis dari; & aliquibus, nempe reprobis, non dari, & quibus datur, dari ex pura misericordia; cum nemini debitum sit; quibus verò non dari in poenam peccati originalis, propter quod datur, etiam omnibus potuit non dari. Unde quibus non datur quod postquam justificati sunt, non permanent usque in finem in statu justitiae, jure merito illis ad culpam imputatur, tum quia hoc adjutorio ob suam aliquam culpam carent, tum quia non deest eis aliud adjutorium, quocum permanere possunt, & permanent si velint.

Minimè igitur hic negat S. Doctor dari omnibus adjutorium sufficiens ad vitanda peccata & servanda mandata divina, sed solum negat omnibus dari adjutorium, quocum non solum possint vitare peccata & servare mandata, sed etiam re ipsa peccata vitent, & mandata servant, vel potius hoc unum intendit, quòd quibus tale adjutorium datur misericorditer datur, & quibus non datur, justè non datur.

At inquit. Videtur S. Doctor aperte innuere vel supponere, quòd in praesenti statu praeter hoc adjutorium, quocum non modò possumus vitare peccata & servare mandata, sed etiam peccata vitamus, & mandata servamus, sit adjutorium aliud, quocum homines, qui peccant, & mandata divina transgrediuntur, peccata vitare & mandata servare possunt, atque peccata vitarent & mandata servarent, si vellet. R. hoc negando. Neque enim dici potest S. Doctor hic innuere vel supponere, cujus contrarium alibi docet. Docet autem alibi, & justos reprobos ad permanendum in statu justitiae, & peccatores ad tentationes vincendas, & peccata vitanda, & mandata divina adimplenda, sufficiens à Deo adjutorium accipere, ut clarè ex verbis ipsius demonstravimus.

Obj. 2. S. Augustinum, lib. 1. retract. c. 15. ubi sic ait: *Qui cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideo facit contra praecepta justitiae, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam poena peccati.* Unde sic argumentaberis. Ex S. Doctore, qui cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideo praecepta justitiae transgreditur, nihilominus peccat, & reus est transgressionis praeceptorum illorum: sed qui cogenti cupiditati resistere non potest, & ideo praecepta justitiae transgreditur, non habet auxilium sufficiens ad vitanda peccata, & praecepta justitiae servanda. Ergo ex S. Doctore, aliqui, ii nimirum qui cogente cupiditate faciunt contra praecepta justitiae, peccant, & imputabiliter praecepta justitiae transgrediuntur sine auxilio sufficiente ad vitanda peccata, & servanda praecepta justitiae.

R. cum,

R. eum, qui cogenti cupiditati bona voluntate non potest resistere, & ideo facit contra præcepta iustitiæ, non habere auxilium proximè sufficiens ad vitanda peccata & servanda præcepta iustitiæ, & tamen peccare, ac præcepta iustitiæ transgredi culpabiliter, quia habet auxilium remotè sufficiens, nempe gratiam orandi, quacum impetrare potest majus auxilium, quo dominium cupiditatis removeatur. Unde necessitas, cui subjacet, eum excolare non potest, quia sub ea liberè manet, cum ab ea possit sese eximere, divinum auxilium implorando: unde hæc necessitas non est antecedens & involuntaria simpliciter, sed consequens, & saltem indirectè volita, qualis necessitas neminem potest excolare.

Hanc esse mentem S. Doctoris patet ex eo quodd statim subjicit: *Quapropter peccatum sine voluntate esse non posse verissimum est.* Et post aliqua: *Quantum est quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi forte si pia est ut orat auxilium? In tantum enim libera est; quia in tantum liberata est, & in tantum appellatur voluntas.* Itaque qui cogenti cupiditati non potest resistere, & ideo facit contra præcepta iustitiæ, nihilominus peccat, quia transgressiones ejus non sunt sine voluntate, hoc est, quia transgressiones ejus ei adhuc sunt sufficienter voluntariæ & liberæ. Sunt autem ei sufficienter voluntariæ & liberæ, quia sic non potest non facere contra præcepta iustitiæ in sensu composito dominantis cupiditatis, ut possit in sensu diviso, & hic sensus divisus sufficienter sit in ejus potestate; cum orare possit auxilium, quo refranetur cupiditas. Cupiditas autem refranata desinit dominari, & sic desinit ad malum cogere.

Homini igitur, qui cogenti cupiditati resistere non potest, & ideo facit contra præcepta iustitiæ, horum præceptorum transgressiones sunt sufficienter ad imputabilitatem voluntariæ & liberæ, quia voluntas ejus libera est ad orandum auxilium proximè sufficiens ad vitandas illas; licet in tantum sit libera, quia in tantum liberata est; & in tantum liberata est, quia solum habet gratiam remotè sufficientem, nempe gratiam orationis.

Obj. 3. S. Augustinus, lib. de perfectione iustitiæ, ubi ad objectionem 15. Celestii ita responder: *Peccatum est, cum vel non est charitas que esse debet, vel minor est quam debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia si potest, præsens voluntas hoc facit: si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit, & tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur.* Ergo, &c.

R. S. Doctorem hic defendere necessitatem gratiæ contra Celestium pugnantem pro arbitrii viribus. Celestius, ut probaret nullum esse peccatum, quod non posset vitari per solas arbitrii vires, sic argumentabatur: *Certe justus est Deus... imputat autem Deus homini omne peccatum... & si est aliquod peccatum quod vitari non possit, quomodo justus Deus dicitur, si imputare cuiquam creditur, quod vitari non possit?* Responder S. Augustinus, justè à Deo imputari posse transgressiones aliquas, quæ propter dominantem cupiditatem vitari non possunt cum solis arbitrii viribus; quia, 1. hæc impotentia oritur ex dominante cupiditate, quæ est justa pœna peccati saltem originalis. 2. Hæc impotentia tolli potest per gratiam, quæ non denegatur humili voluntati, hoc est, voluntati imbecillitatem suam consenti, & auxilium divinum oranti: unde homo queri non potest de hac impotentia, & hæc impotentia est illi sufficienter voluntaria ad justam imputabilitatem, nec est impotentia simpliciter antecedens, sed secundum quid tantum; cum homo possit orare, & orando obtinere auxilium gratiæ, quo tollatur dominium cupiditatis, & cum hoc dominio impotentia illa, cujus est causa.

Juxta S. Doctorem igitur, peccata illa, quæ vitari non possunt, & tamen imputantur, committuntur quidem sine auxilio proximè sufficiente ad ea vitanda, at non sine gratia remotè sufficiente, nempe gratia orandi, qua qui uti negligit, propter do-

minium cupiditatis, quod culpa illius manet, & impotentiam cum eo conjunctam & ex eo ortam, excusari non potest.

Obj. 4. S. Augustinus, eod. lib. ubi ad obj. 19. hæc dicit: *Quasi non debeat Deo agere gratias, qui præcepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis, hæc velle non potest.* R. hic corrumpi textum S. Doctoris, & legendum esse, *qui desertus omni lumine veritatis, hæc velle non posset.* Hic itaque S. Doctor pro necessitate interioris gratiæ ad implenda mandata divina pugnat contra Celestium, & solum dicit, eum qui præcepta voluit adimplere, debere Deo gratias agere, quod voluerit, tum quia ad hoc ut veller, misericordia Dei prævenit, & interiore sua gratia excitavit voluntatem ejus, quomodo ei congruebat, ut veller; tum quia si destitueretur omni interioris gratiæ adjutorio, non solum non voluisset præcepta adimplere, sed nequidem velle potuisset. Sed quid inde contra nos?

Obj. 5. Peccata ignorantia committuntur ab hominibus saltem sæpè sine auxilio sufficiente ad ea vitanda: nam committuntur ab hominibus, sæpè saltem putantibus non solum se non malè, sed etiam rectè justèque agere. Ergo, &c. R. neg. ant. Nam peccata ignorantia sunt ea, quæ sunt ex ignorantia culpabili; & ignorantia culpabilis est ea, quæ potest & debet tolli. Peccata autem quæ sunt ex ignorantia, quæ potest tolli, adedque ad quam tollendam homo sufficiens habet auxilium, dici non possunt fieri sine auxilio ad ea vitanda sufficiente, non quod quoties actu peccatur ex ignorantia, adsit auxilium sufficiens ad eam tollendam, sed quod nunquam sic peccetur, quin antea adfuerit auxilium sufficiens ad tollendam ignorantiam, & sublata ignorantia cavendum postea peccatum, quod ex ea tamen ab homine committitur, quia auxilio ad eam non tollendam idoneo uti nolu, vel saltem neglexit.

Ad prob. R. ex ea sequi tantum, quod peccantibus ex ignorantia, sæpè non adsit, cum actu sic peccant, auxilium sufficiens ad depellendam ignorantiam, ex qua peccant; sed quod satis est, antea adfuit, adedque potuerunt ignorantiam illam depellere, & depellendo, peccatum quod admittunt, cavere. Quod autem malum, quod agunt, agant ex firma persuasione non solum quod non malum, sed etiam justum rectumque sit, non potest illos excusare; tum quia hæc persuasio culpabilis est; tum quia justè privantur auxilio; quo impeditur hæc persuasio; tum quia nulla necessitate ad actionem illam, cujus malitiam culpabiliter ignorant, adiguntur, suntque planè liberi ad eam ponendam vel non ponendam; cum tam habeant ad non ponendam, quam ad ponendam motivum sufficiens. Unde ex hac parte dici possunt etiam cum actu peccant, habere sufficiens auxilium ad non peccandum, quamvis non tantum, quantum si Deus per illustrationem ostenderet eis malitiam actionis, vel saltem dubium sive scrupulum de illa menti eorum injiceret.

Obj. 6. Excecati non habent auxilium sufficiens ad implenda præcepta divina; & tamen ea transgrediendo peccant imputabiliter: alioqui prodesset illis excecatio, illosque redderent impeccabiles, quod est absurdissimum. Ergo, &c. R. neg. ant. quod 1. part. Nam excecati, quandiu in statu excecationis manent, carent quidem auxilio interioris gratiæ proximè & immediate sufficientis, at non carent gratia remotè & mediatè sufficiente, qua si rectè uterentur, tolleretur eorum excecatio, & gratiam acciperent proximè & immediate sufficientem ad servanda ea præcepta, quæ sine interioris gratiæ adjutorio non possunt servari. Hanc doctrinam tradit S. Augustinus, lib. de nat. & gr. cap. 22. ubi sic ait: *Nec cogitat prævaricatorem legis quam dignè lux deferat veritatis: qua desertus utique sit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat, & ideo tantum audit vocem legis; quò admonetur implorare gratiam Salvatoris.*

Probabis tamen partem ant. negatam, 1. ex Scriptura. Nam dicitur Eccli. c. 7. *Confidra opera Dei, quòd nemo*

nemo possit corrigere quem ille despexerit. Et Isaia, c. 6. Excæca cor populi huius, & aures ejus aggravata, & oculos ejus claudet; ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum. Et Rom. c. 1. Sicut non probaverunt Deo habere in notitia, tradidit illos in reprobum sensum. Ergo, &c.

2. Ex S. Augustino, qui ait lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. Ut obduratio Dei sit nolle misereri. Et postea: Ut ob hoc dicatur obdurare peccantes quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit ut peccent. Et tract. 53. in Joan. Sic excæcat, sic obdurat Deus deferendo, & non adjuvando. Et epist. 105. Deus obdurat non impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam. Et enarr. in Psal. 147. Ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam. Ergo, &c.

Ad 1. prob. R. neg. conseq. Ad primum Scripturæ locum dico, aliud colligi non posse, quam excæcat aliquando ad tempus subtrahi omnem gratiam sufficientem ad conversionem. Ad secundum similiter dico, in eo non aliud significari, quam Judæis illis, de quibus Propheta loquitur, ad tempus gratiam omnem, quacum converteri possent, in penam peccatorum præteritorum subtractam fuisse. Porro peccatoribus sic à Deo ad tempus desertis, si cum urget obligatio alicujus præcepti, quod abque interiore gratia observari nequit, deest gratia proximè sufficiens ad implendum præceptum, saltem non deest gratia remotè sufficiens, seu gratia quacum implorare possunt majus auxilium, quocum proximè possunt præceptum implere. Ad tertium locum dico cum S. Augustino in enarr. in Psal. 6. eo significari seclusionem ab interiore Dei luce, sed non totalem, quandiu hic vivitur, adeoque eo significari subtractionem interioris gratiæ, sed non omnis.

Ad 2. prob. R. etiam neg. conseq. ad primum enim S. Augustini locum dico, secundum mentem S. Doctoris, ut patet ex contextu, Deum peccatores obdurare, nolendo eorum misereri misericordia illa speciali, ex qua, cujus sic miseretur, ita eum vocat quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respiciat. Juxta S. Doctorem igitur, Deus peccatorem obdurat, non impellendo eum ut peccet, aut etiam eum privando auxilio quocum possit, si velit, non peccare; sed præcisè non dando ei auxilium congruum, hoc est, auxilium quocum non solum possit, sed etiam velit non peccare.

Ad secundum dico, juxta S. Doctorem, Deum excæcare, deferendo non per subtractionem omnis gratiæ, sed per subtractionem specialis providentiæ, & gratiæ congruæ, vel etiam, si vis, gratiæ proximè sufficientis ad faciendum bonum & malum vitandum. Ad tertium dico, Deum obdurare, non impertiendo gratiam congruam, vel etiam proximè sufficientem. Ad quartum dico, S. Doctorem similiter intelligi posse de subtractione congruæ gratiæ, vel etiam proximè sufficientis ad vitanda peccata, & mandata servanda: nisi malis illum interpretari, sicut & interpretati sumus de subtractione omnis gratiæ, sive proximè sive etiam remotè sufficientis ad conversionem, ad tempus facta.

Dices. Excæcati peccant imputabiliter, cum male agunt ex cæcitate cordis, juxta illud S. Augustini, lib. 5. contra Julianum, cap. 3. Cæcitas cordis, quam solus remover illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, quo cor superbum digna animadversione punitur; & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur. Atqui excæcati non habent auxilium sufficiens ad vitandum malum, quod faciunt ex cordis cæcitate. Ergo peccant imputabiliter sine auxilio sufficiente ad vitandum peccatum. Prob. min. Nam excæcati nec vident nec videre possunt malitiam actus, quem ex cæcitate cordis exercent.

R. neg. min. Ad prob. R. disting. Excæcati malitiam actus, quem ex cæcitate cordis exercent, nec vident, nec videre possunt in sensu composito

cæcitate, C. In sensu diviso cæcitate, N. Hic autem sensus diviso sufficiens est in eorum potestate. Itaque excæcati habent gratiam saltem remotè sufficientem ad removendam cæcitate, nempe gratiam orandi & impetrandi auxilium ad removendam cæcitate necessariam, Remota autem cæcitate, videre possent, & Deo ulterius adjuvante viderent malitiam actus. Non ergo dici possunt carere omni gratia sufficiente ad vitandum malum, quod ex cæci cordis errore committunt.

Dices. Judæi excæcati peccabant non credendo Christum esse Messiam, juxta illud ipsiusmet Christi, Joan. c. 15. Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Et infra: Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Atqui tamen nullum habebant auxilium sufficiens ad credendum in Christum. Ergo, &c. Prob. min. Nam non poterant in Christum credere, juxta illud Joan. c. 12. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaia. Excæcavit oculos eorum, &c.

R. neg. min. Ad prob. R. 1. sic dist. Judæi in Christum credere non poterant impotentia consequente & voluntaria, C. Impotentia antecedente & involuntaria, N. Judæi itaque in Christum credere non poterant, non quia carebant gratia ad credendum necessaria, sed quia datam repudiabant; non quia vim motivorum credibilitatis percipere non poterant, sed quia illa præ suis falsis præjudiciis spernebant; non quia non illustrabantur à Deo, sed quia illustrationem divinam contemnebant, & ab ea mentem avertebant; non denique quia non movebantur à Deo ad credendum, sed quia motionem divinam abiciebant.

Hanc responsionem suggerit S. Augustinus pluribus locis. Nam dicit tract. 53. in Joannem: Non poterant credere (Judæi). Quare autem non poterant, si à me queratur, citò respondeo, quia volebant. Et lib. de præd. sanct. cap. 6. Ecce misericordia & judicium: misericordia in electione quæ consecuta est iustitiam Dei: judicium verò in cæteros, qui excæcati sunt: & tamen illi, quia voluerunt, crediderunt: illi, quia noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur & judicium in ipsis voluntatibus facta est: (misericordia quidem erga Judæos electos, vocando illos quomodo ei congruebat ut vellent credere, & crederent; iustitia verò circa cæteros, non quidem privando illos vocatione, quacum velle possent, sed præcisè non illos vocando ea vocatione, quacum non solum velle possent, sed etiam re ipsa vellent.) Unde qui noluerunt credere, tam liberè noluerunt, quam qui voluerunt credere, liberè voluerunt: & sicut qui voluerunt credere, potuerunt nolle, ita qui noluerunt credere, potuerunt velle.

R. 2. aliter dist. Judæi in Christum credere non potuerunt in sensu composito odii & zelotypiæ, quæ flagrabant adversus Christum, C. In sensu diviso, N. Vel, si vis, sic. Judæi in Christum credere non potuerunt, manente cordis cæcitate, C. Sublata, N. Unde etiam nego quod caruerint omni auxilio sufficiente ad credendum in Christum: habuerunt enim saltem gratiam remotè sufficientem ad deponendum illud odium, quo Christum insectabantur, & ad impetrandum à Deo auxilium ad removendam cordis eorum cæcitate sufficiens.

DISPUTATIO V.

De necessitate gratiæ.

ARTICULUS I.

Utrum tentatio aliqua superari possit solis naturæ viribus.

NOta. Non agitur hic de levi aliqua titillatione, quæ tentationis nomen non meretur, sed de vera tentatione; & quaeritur utrum aliqua vinci possit sine di-